DE DISCIPLINA
POENITENTIÆ
LIBER SECUNDUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DISCIPLINA POENITENTIÆ

LIBER SECUNDUS.

Statuitur forum Sacramentalis Pœnitentiæ,

Et qui fuerit in eo Canonum Pœnitentialium uſus, quæ olim Fidelium diſciplina,

OSTENDITUR

A

BALTHASSARE FRANCOLINO

SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

ROMÆ, Ex Typographia Cajetani Zenobii MDCCVIII.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMÆ DEIPARÆ
SEMPER
VIRGINI MARIÆ.

Q*uos initio hujus Operis obtuli* FILIO TUO, DOMINO MEO, *Tibi quoque offero labores meos; quamvis non meos, utpotè jam oblatos, donatoſque. Offero tamen iterum quod obtuli, ut ejuſdem rei oblatione, ſin minus renovetur donum, donantis renovetur affectus. Offero* MATRI, *quod priùs obtuli* FILIO, *ut fi-*

dem meam magis obligem, ut quod ſemel obtuli, nunc maneat firmiùs oblatum, ut Libros hoſce meos jam Tuos etiam ipſa tuearis, non addens quidem præſidium, (quid enim addatur Divino præſidio?) ſed addens virtutem precibus meis, imò addens preces Tuas, quibus exoratus Filius Tuus, *dum ego renovo oblationem, ipſe renovet Patrocinium. Hoc potiſſimum indiget is Liber ſecundus, in quo cum duplici mihi hoſte confligendum eſt, nempè cum Hæreticis, qui ſublato Pœnitentiæ Sacramento, nullam canonicam pœnitentiam Sacramentalem fuiſſe dicunt, nullam pertinere ad forum internum, & arcanum, & cum Catholicis quibuſdam arctioris Doctrinæ Patronis, qui Canonicam pœnitentiam in foro etiam interno,*

& ſe-

& ſecreto Sacramenti imponi pro delictis occultis debuiſſe, & ſubinde impoſitam, & peractam fuiſſe autumant. Probandum eſt mihi contra illos, fuiſſe ſemper in Eccleſia forum Sacramenti Pœnitentiæ, forum arcanum, idem quod ineſt modo. Contra verò hos oſtendendum, nunquam extitiſſe in Eccleſia illud internum forum, quod ipſi fingunt, ſic odioſum, ſic oneroſum. Velim tenere viam mediam, viam tutiſſimam. Hanc oſtende de Cœlo deſideranti, volenti, quærenti hoc tantum, videlicet viam veritatis, viam ſalutis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſger.

MI-

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm Opus, cui titulus: DE DISCIPLINA POENITENTIÆ &c. *à P. Balthaſſare Francolino* Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has Literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 7. Novembris 1708.

Michael Angelus Tamburinus.

DE

De mandato Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri librum in tres partes diſtributum, cui titulus, *De Diſciplina Pœnitentiæ &c.* Authore eximio P. Baldaſſare Francolino Societatis Jeſu, Theologo, legi, & examinavi; in quo fulgent ad mentem, ardent, & pulſant ad Cor veritates ejuſdem Diſciplinæ, lucent Conſilia, Selecti ſcintillant paſſim Patres, Conſilia, aliique Sanctiſſimi juxtà, ac Doctiſſimi Viri, ex quorum omnium præclariſſimis documentis, adeò concinnam, ac ſuavem compoſuit doctrinæ harmoniam, ut ad exprimendam Eccleſiæ primitivæ, ac præſentis benigniſſimam indolem, ſeù propenſionem ad pietatem, & miſericordiam, nil jucundius optari poſſe videatur. Planè de his, quos in poſtrema parte recenſet; Apoſtolicis Viris ad hæc poſteriora ſecula ſpectantibus, incredibile eſt, ne dixerim pluſquam impium, vel leviſſimè ſuſpicari, quòd dum ad animarum ſalutem non ſine ingenti earum lucro ferventiſſimè incumberent, peregrinam deindè vellent intrudere praxim, ſeù regulam doctrinæ, quæ priori contradiceret. Optimè enim noverant, quanto æſtu, ac maligno ſtudio conentur hæretici ad ſcindendam Eccleſiæ unitatem, ac continuationem in doctrina fidei, & morum; ut tandem illius defectionem ad ſuarum hæreſum velamen, & firmamentum blaſphement. Sed inter cætera, quæ Author Operis erudittiſſimè profert ex antiquioribus etiam Patribus teſtimonia, audiatur Auguſtinus in epiſt. 261. ad Cœleſtinum Sum. Pontificem, cui referens quoddam ſui judicium minus ſeverè prolatum, ac benignè executum, id in ſui præſidium adducit, quod rectè ſciret, quantum Sedes Apoſtolica ad Clementiam, & benignitatem propenderet. *In illis autem* (inquit S. P.) *multiplicibus geſtis, quibus de illo noſtrum judicium continetur, magis deberem vereri, ne tibi minus ſeverè, quam oportetet, judicaſſe videamur, niſi ſcirem, Vos tam propenſos ad miſericordiam, ut non ſolum nobis, quia illi pepercimus, verùm etiam ipſi exiſtimetis eſſe parcendum.*

Succinit egregiè D. Thom. in peculiari expoſitione ſuper Matth. ad cap. 23. (aliis urgentiſſimis teſtimoniis apud Authorem relictis) nam præmittens, quòd *aliqui ſunt homines, qui non volunt perficere totum, tamen volunt aliquid perficere. Aliqui, qui etſi non volunt facere aliquid difficile, volunt tamen aliquid leve;* & tandem *Aliqui, qui etſi non faciunt,*

ciunt, *habent tamen voluntatem faciendi*; ut deindè erga omnes, ad benevolentiam, & pietatem inclinemur, paulò poſt ex Chryſoſtomo concludit. *Unde magis parcet tibi Dominus, ſi declinas ad Miſericordiam, quam ad ſeveritatem*. Pulchrè, ac piiſſimè ad hæc ſubdit Ludovicus Granatenſis lib. 6. Memorialis vitæ Chriſtianæ cap. 16. *Qui vult bonus eſſe Chriſtianus* (verba illius ſunt latinè reddita ex Idiomate Hiſpanico à Michaële ab Iſſelt Montefortio) *huic neceſſe eſt*, *ut* ſemper *habeat tria corda in uno corde*; *Unum erga Deum*, *alterum erga ſe ipſum*, *tertium erga proximum*: *hoc eſt*, *erga Deum oportet*, *ut habeat cor devotiſſimum*, *&* *humillimum*; *erga ſe ipſum*, *ſeverum*, *& rigidum*, *erga proximum*, *liberaliſſimum*, *& benigniſſimum*; *Beatus ille*, *qui adorat Trinitatem in Unitate*, *& beatus ille*, *qui poſſidet hæc tria cordium genera in corde uno*. Veriſſimè quidem, alioquin ſimilis foret Exactoribus tributorum, *qui* (ut ait Chryſoſtomus apud D. Tho. ibidem) *aliis magna faciunt ſolvere*, *pluſquam tributa exigunt*, *ipſi autem ſui nihil ſolvunt*. His verò Sapientiſſimis Magiſtris fidem detrectare, nefas putarem, idcircò ad eorum ſenſum perſoluto operi non tam libens ſubſcribo, quàm gratulor, illius Authorem, ætate licet valdè provecta, tam arduum ſtudium uſque ad coronam fœliciter ſuſcepiſſe, in Eccleſiæ decus, in Concionatorum, ac Confeſſorum utilitatem, in Sanctarum Scholarum pium affectum, atque clarum Munimen. Dat. Romæ 29. Maii 1708.

F. Paulus Maria Cavvinus Sac. Theol. Magiſter, ac Theologus Caſanatenſis Ord. Præd.

EX

COmmiſſum mihi librum, cui titulus eſt: DE DISCIPLINA POENITENTIÆ, *Auctore Patre Balthaſſare Francolino* Societatis Jeſu Theologo accuratè perlegi, in quo nihil Divinæ Fidei dogmatibus noxium reperi, imò ea præſertim, quæ ad Sacrum Pœnitentiæ forum ſpectant, ſatis ſolidè adverſus Hæreticos firmantur. Magnam certè eruditionem, & in monumenta antiquitatis pervagatam intelligentiam præſefert Auctor, majorem autem operam, ac impenſum ſtudium in elucidandis rebus multa caligine involutis non purigine novitatis, ſed priſcæ veritatis ſtudio, nec ex proprio ſenſu, ſed Conciliorum, ac Veterum PP. documentis. Verè Sapiens deprehenditur, qui antiquorum Sapientiam tàm ſedulò exquirit, & narrationem virorum nominatorum exactè, & fideliter conſervat. Ex Collegio Siculo Sancti Pauli de Arena tertii Ordinis Sancti Franciſci die 25. Maii 1708.

Fr. Joſeph Marcheſe ejuſdem Collegii Studiorum Regens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apoſt. Pal. Mag. Ord. Prædic.

IN-

INDEX

Capitum Secundi Libri.

CAP. I.

AN fuerit ſemper in Eccleſia forum internum, & Sacramentale, & quale illud fuerit. pag. 3

CAP II.

Quam Confeſſionem id forum requirat ex Inſtitutione Divina. 15

CAP. III.

An Præceptum confitendi omnia gravia peccata ſemper innotuerit Patribus, ſemperque fuerit Fidelibus ſignificatum. 31

CAP. IV.

Triplex reſponſio proponitur, & rejicitur. 50

CAP. V.

Vera Reſponſio ſuſtinetur, & primum Argu- *men-*

mentum initio capitis tertii ex facto Nectarii, & locis Chryſoſtomi petitum ſolvitur. 61

CAP. VI.

Reliquis argumentis eo cap. 3. propoſitis reſpondetur. 74

CAP. VII.

Quibuſdam monitis tradita doctrina, & argumentorum ſolutio explicatur magis & confirmatur. 93

CAP. VIII.

An foro Pœnitentiali fuerint utiles, jamque etiam neceſſarii ſint libri Caſuiſtarum, & qui fuerit ortus, & progreſſus Theologiæ Moralis. 107

CAP. IX.

A quibuſdam calumniis Moralis facultas, ejuſque libri vindicantur. 120

CAP. X.

Oſtenditur, libris Caſuiſtarum auctam fuiſſe Eccleſiaſticam eruditionem, & Fidei doctrinam illuſtratam. 127

CAP.

C A P. XI.

An Canones Pœnitentiales fuerint conditi in gratiam dumtaxat externæ Diſciplinæ. 159

C A P. XII.

An Canones Pœnitentiales ita ſpectarint ad forum internum, ut debuerint in eo imponi pœnitentiæ per ipſos ſtatutæ. 168

C A P. XIII.

Quæſtioni in præcedenti Capite propoſitæ reſpondetur. 180

C A P. XIV.

Auctor obiter, & oblata occaſione duas propoſitiones in alio ſuo libro contentas vindicat. pag. 198

C A P. XV.

An ſaltem aliquando, & quando debuerint Fideles ad has pœnitentias à Confeſſario, vel ſaltem ab Epiſcopo compelli, & venia recuſantibus negari. 214

C A P. XVI.

An fuerint multi ad ſubeundas Canonicas pœnitentias compulſi, eaſque multi verè peregerint. 219

GAP.

CAP. XVII.

Objecta quædam ſolvuntur, multoſque decipi; dum antiqua tempora laudant, oſtenditur. pag. 247

CAP. XVIII.

Quæ fuerit antiqua legum diſciplina? Qui uſus? 261

CAP. XIX.

Quæ fuerit olim diſciplina morum præſertim in tribus Eccleſiis, quarum duæ hic deſcribuntur. 279

CAP. XX.

Quæ fuerit Eccleſia Gallicana? 295

CAP. XXI.

Occurritur damnis, quæ oriri poſſent ex harum Eccleſiarum deſcriptione: quædam objecta ſolvuntur, & hujus libri ſcopus, & utilitas magis declaratur. 319

DE

DE DISCIPLINA POENITENTIÆ

LIBER SECUNDUS.

Statuitur ſorum Sacramentalis Pœnitentiæ,

Et qui fuerit in eo Canonum Pœnitentialium uſus, quæ tunc Fidelium diſciplina, oſtenditur.

AUCT. Poſtquam docui te, qui fuerint Canones Pœnitentiales, à quo & quando conditi, vel recepti, docendus es, in cujus fori gratiam conditi ſint, interni-ne, an externi? An fuerint in utroque foro Pœnitentiæ Canonicæ impoſitæ, an ſaltem in alterutro? An fuerint à Pœnitentibus peractæ? Quæ poſt illos Canones ſecuta fuerit morum emendatio, quæ di-

ſciplina? Hæc, ut vides, eſt præcipua Pars diſſertationis noſtræ, ad quam fuit quidem neceſſaria prima Pars, quæ tamen ſine ſecunda, quam aggredior, præbet eruditionem otioſam, imò pernicioſam, quæ nimirum facilè ad errorem trahat, præſertim homines aut indolis, aut vitæ, aut doctrinæ auſterioris. Hi enim dum legunt Canones pœnitentiales, quos recenſebam, ſtatim exardeſcunt in amorem antiquæ cenſuræ, putantes id fore remedium exterminandis peccatis, & peccatoribus opportunum; nec interim inveſtigant, an hoc remedium fuerit unquam uſitatum, an ſolùm oſtenſum, an oblatum, an obtruſum, an utile, an noxium, ſeque periculo exponunt occidendi ægros, quos ſanare percupiunt. Hoc periculum propulſat hæc altera Pars diſſertationis noſtræ prædictis omnibus quęſtionibus reſpondens, tuiſque oculis ſubjiciens veteris Eccleſiæ diſciplinam, non illam ſpeculativam Canonum, & dictorum, quam prima Pars propoſuit, ſed morum, factorumque.

Antequam verò doceam, qui fuerit Canonum Pœnitentialium uſus in foro interno, ſtatuendum eſt, fuiſſe vere in veteri Eccleſia id forum, nec aliud ab eo, quod nunc Eccleſia cuſtodit. Quamvis enim id ſit fide certum, omitti tamen non debuit, ut habeas abſolutiſſimam

mam notitiam Pœnitentialis diſciplinæ, utque ſcias Hæreticis opponentibus, & Catholicis interrogantibus reſpondere.

Cler. Laudo conſilium: dic ergo, quid reſpondeam quærenti

CAPUT I.

An fuerit ſemper in Eccleſia forum internum, & Sacramentale, & quale illud fuerit.

AVƐ. Reſpondebis, forum internum, ſeu forum animæ illud dici, in quo Pœnitens ritè confeſſus Sacerdoti, ab eodem tanquam Dei miniſtro verè abſolvitur à peccatis, vel iſta confeſſio ſecreta ſit, vel publica. Ut enim Chriſtus Dominus non mandavit, fieri publicè, ita nec vetuit, cùm nullum ex publicatione delicti oritur malum. Quare utrovis modo fiat, ſacramentalis, internique fori eſſe poteſt. Quia verò plerumque expedit, fieri ſecretò, & hoc modo fieri ſolet, ideò id forum ſecretum dicitur: ſicuti, quia in eo expiatur anima maculis peccatorum, appellari ſolet forum animæ, forum internum.

Fuiſſe ſemper in Eccleſia hoc forum, in quo verè Sacerdos pœnitenti confeſſo peccata remittit, eſt adeò certum, ut mi-

rabile ſit, potuiſſe ab aliquo negari.

Et 1. Chriſtus Dominus Matth. 16. 19. & rurſus 18. 18. & Jo: 20. 23. hanc abſolvendi peccata poteſtatem dedit Eccleſiæ ſuæ; non ſolvit autem peccata, qui ſolam pœnam aliquam ſolvit. Non poteſt autem, nec debet quis ſolvi temerè; debet ergo priùs confiteri peccatum ſuum, aut proditum ab alio non negare.

2. Pleniſſima ſunt Patrum ſcripta ſententiis id confirmantibus: nam ubique expendunt, & exaggerant hanc poteſtatem Eccleſiæ collatam abſolvendi à peccatis. Id maximè facit S. Jo: Chryſoſtomus de Sacerdotio lib. 3. & aliis multis in locis. Non eſſet autem tam ſublimis, nec adeò celebranda hæc poteſtas, ſi per eam ſola aliqua pœna præſertim impoſita ab ipſa Eccleſia quis abſolveretur, aut ſolum annunciaretur verbum Dei, quod creditum, hunc effectum præſtaret.

3 Origenes in Pſal. 38. hom. 2. agens de ſeptem modis, quibus ex Divinæ Scripturæ preſcripto remittuntur peccata, numerat confeſſionem, *Eſt* (inquit) *adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa, per penitentiam remiſſio peccatorum; cùm lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & ſiunt ei lacrymæ ſuæ panes die, ac nocte; & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare pecca-*

peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum, qui ait: dixi, pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.

4 S. Auguſtinus Epiſt. 180. ad Honoratum Epiſcopum, manifeſtè docet, ſic remitti peccata per abſolutionem, ut verè remittuntur per Baptiſmum, tamque timendum de exitio eorum, qui ſine Baptiſmo moriuntur, quàm qui moriuntur ſine abſolutione Sacerdotis. Putavit ergo, utrumque eſſe verum Sacramentum, & utroque verè remitti peccata; & rursùs ſignificat, hanc fuiſſe communem perſuaſionem, ſolitoſque omnes in periculo mortis ad hæc Sacramenta recurrere, ut per ea obtinerent veram ſuarum culparum veniam. Loquens enim de ſubitis eventibus, aut terræmotus, aut hoſtilis incurſionis,aut incendii, monenſque quàm tunc neceſſaria ſit Paſtorum præſentia, ita ſcribit. *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, & ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto*

ſæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt luctus Fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt?

5 Et quidem ſæpè Patres prædictorum temporum comparant unum Sacramentum cum altero, aut de utroque agunt tanquam inſtituto a Chriſto Domino in veram remiſſionem peccatorum. Satis erit ex multis audire S. Leonem, qui Ep. 91. ità ſcribit ad Theodorum. *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent, ſic Divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ dedit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

6 Demùm ab omnibus Sanctis Patribus, qui fuere poſt Novatianum, is fuit habitus tanquam hæreticus, quod negaret, Eccleſiæ miniſtris datas claves Regni Cœlorum, nempè poteſta-

teſtatem verè remittendi peccata, undè recipi, & abſolvi lapſos nolebat, ſed eſſe dicebat Dei judicio relinquendos. Igitur hæc fuit totius Eccleſiæ fides, confitentibus ab Sacerdote verè remitti peccata ex inſtitutione Divina, ac proindè dari verè in Eccleſia hoc forum internum, hoc Sacramentum ex confeſſione Pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis conflatum.

Debent rursùs Hæretici ipſi, ſi Patres legerunt, & eruditionem aliquam Eccleſiaſticam habent, fateri, confeſſionem aliquam peccatorum fuiſſe præceptam, itaut fieri deberet in morte, & aliquando in vita, & præſertim ante communionem.

7 Et quidem ex allato textu S. Auguſtini eruitur manifeſtè, perſuaſos omnes fuiſſe, eam eſſe ſaltem in morte peragendam, cùm tunc ad eam omnes recurrerent, & damnandos ſe crederent, niſi jam abſoluti morerentur. Id etiam eruitur ex textu Sancti Leonis dicentis ſic Deum ordinaſſe, ut *indulgentia Dei* (ſaltem in aliquibus delictis, pro quibus agenda erat publicâ pœnitentiâ, de quibus ibi ſaltem loquitur, ut dicetur poſtea) *niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri*. Jam enim præceptum cuique erat ea delicta confiteri, & petere abſolutionem ſaltem in morte, ut præcep-

tum cuique eſt ſaltem in morte adhibere remedium, ſine quo venia peccati obtineri nequit.

8 Quin pręceptam quoque fuiſſe ante mortem horum delictorum confeſſionem, non ſolùm colligitur ex eo quod non licet tandiù differre id remedium inſtitutũ ad rectè vivendum, & non ſolùm ad bene moriendum, ſed etiam ex eo quod omnes Canones etiam antiquiſſimi, ut lib. I. oſtendi, iis qni ſaltem graviora quædam delicta commiſerant, indicebant, ut ante mortem, aut etiam in proxima Quadrageſima ſe repræſentarent Epiſcopo, confeſſique delicta ſua pœnitentiam peterent.

Ii autem, ſi comparere recuſabant, aliquando abſcindebantur, nonnullæque Eccleſiæ rigidiores in pœnam tandiù dilatæ confeſſionis, & pœnitentiæ, veniam aut ſaltem Euchariſtiam in morte denegarunt. Veniam his non denegabat Sanctus Auguſtinus, ſed eorum pœnitentiam inutilem plerumque eſſe, dicebat: jam ergo docebat non licere ſic differre. Ego vos (inquit Serm. 57. de Tempore) *dilectiſſimi Fratres, hortor, atque admoneo, ut ſi quis ex vobis conſcius criminum ſuorum indignum ſe communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum ſe facere poſſit? Quomodo? Niſi erro-*

res

res priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat; ut qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur; nec illud ſervet, ut in extremo vitę ſuæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non poſſit &c. Datur quidem in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari. Sed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi... Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideò penitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur. Et ideò, dilectiſſimi, quicunque invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ſi ſalvus eſſe vult in futuro.

9 Id etiam fateri debent ipſi, ut dicebam, Heretici, ſi Canones antiquos legerunt, aliquos ad Altaris Communionem admiſſos non fuiſſe aut admitti ex diſciplinaCanonum non debuiſſe, niſi antea publicam pœnitentiam egiſſent, ergo niſi ſua delicta confeſſi eſſent. Publica enim pęnitentia, ut omnes norunt, imponebatur ab Antiſtite pro menſura delicti. Quamvis enim Canones ſtatuiſſent, quæ eſſet pro unoquoque delicto pœnitentia ſubeunda ante communionem, non poterat tamen Pęnitens inconſulto Epiſco-

po

po ſe Pœnitentibus aggregare, & emenſo pœnitentiæ canonicæ curriculo, veluti jure ſuo accedere ad Altare, & communicare, ſed in omnibus pendere ab Antiſtitis imperio debebat. Ipſe admittebat ad pœnitentiam, quos verè pœnitere, & omni canonico impedimento carere cernebat. Ipſe tempora pœnitentiæ decernebat. Ipſe, eâ peractâ, aut ex parte condonatâ, cum Altari reconciliabat; cùmque in his ſententia variaret pro varietate delicti, jam hoc erat Epiſcopo manifeſtandum, & quidem ab ipſo Pœnitente, qui verè pęnitens non habebatur, nec admittebatur, niſi ſe verè reum fateretur. Igitur eſt certum, debuiſſe in his delictis communioni præire confeſſionem, eamque ſacramentalem, poſt quam verè pęnitens abſolvebatur à peccatis, tum quia id docent Patres ſupra allegati, tum quia, cùm hanc poteſtatem haberent Antiſtites, ut ſupra oſtendimus, non eſt, cur eam non exercerent cum pęnitentibus confeſſis, veniam poſtulantibus, eâque indigentibus, ut de Altaris Sacramento dignè participarent.

10 *Cler.* At quomodo verè abſolvebant à peccatis (inquiunt Hæretici) ſi ſuper Pęnitentem ſolùm deprecabantur?

Auct. Id nego cum S. Thoma opuſc. 22. Deprecabantur quidem, & ideò S. Patres (ut

S. Leo

S. Leo paulò ante allegatus) dicunt, pęnitentes ſupplicationibus Sacerdotum veniam obtinere, non tamen id ſolum faciebant, ſed utrumque, tanquam veri miniſtri, & vicarii Chriſti Domini qui utrumque facit; eſt enim non ſolùm noſter Judex, ſed noſter Advocatus apud Patrem, ut dicitur Jo. 1. 2.

Cler. At Morinus qui omnia antiquitatis monumenta, omnes libros rituales veteris Eccleſiæ legit, non alias formas reperit, quam deprecatorias, ut ex te ipſo audivi. Nec ipſe probabis, ut arbitror, eorum reſponſionem qui dicunt, in antiquis libris ritualibus contineri ſolos ritus fori externi, ac proinde eas tantùm formas, quibus Fideles non à peccatis, ſed à pęnis canonicis abſolvebantur. Hinc enim colligent Hæretici quod intendunt, nempè non fuiſſe in Eccleſia veteri forum internum, forum in quo Sacerdos pęnitentem, & confitentem abſolveret ab ipſis peccatis, & non ſolum à quibuſdam pęnis. Si enim Eccleſia utramque abſolutionem impendiſſet, reliquiſſet nobis in dictis libris ritualibus utriuſque muneris & poteſtatis ritus, nec omiſiſſet formas quibus primaria poteſtas exercetur.

Auct. Hanc certè reſponſionem non approbo, tum ex cauſa, quam dicis, tum quia eſt manifeſtè falſa. In dictis enim libris interroga-

rogatur pęnitens de peccatis, ut ſolet in foro interno, nimirum ut ſpontè confeſſus indè abſolvatur, & reconcilietur cum Deo, hinc in dictis formis aut nunquam, aut vix unquam fit mentio pœnarum ab Eccleſia inflictarum, ſed peccatorum, hiſque verè abſolvi pœnitentem, ubique ſupponitur. Præterquamquod, ſi dicatur ági in dictis libris de ſola abſolutione pœnarum, redit eadem difficultas, quomodo impenderetur ſolùm deprecando hæc ipſa pœnarum abſolutio, quæ eſt actus judiciariæ poteſtatis; hinc modò nec à ſolis pœnis abſolvimus ſolùm deprecando, ſed dicendo, *ego te abſolvo e. g. à vinculo excommunicationis &c.*

Vera reſponſio eſt, prædictas formas, quas Morinus, & alii vocant deprecatorias (ſi verè hæ ſolæ reperiuntur in omnibus prædictis libris, hiſque ſolis uſa eſt antiquitas, quod multi negant) non fuiſſe omnes ſolùm deprecatorias, ſed ſaltem aliquas ex ipſis fuiſſe deprecatorias ſimul, & judiciarias. Siquidem aliquibus præfixus legitur is veluti titulus *Oratio*, aliquibus is alius *Abſolutio*. Igitur non omnes erant ſola deprecatio ad Deum. Rurſus in aliquibus ſolùm rogatur Deus ut abſolvat, ut in illis duabus, *Miſereatur tibi Omnipotens Deus &c. Indulgentiam, abſolutionem &c.* Quas etiam modò recitare ſolet Sacerdos, antequam abſolvat; in aliis

aliis verò profitebatur Sacerdos, ſe agere ex poteſtate ſolvendi, & ligandi ſibi à Chriſto tradita, ut in hac pervetuſti codicis Gellonenſis, quam affert recentiſſimus ſcriptor pereruditus Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus part.2. lib.1. cap.6. art. 7. *Deus omnipotens Salvator, & Redemptor generis humani, qui Apoſtolis ſuis dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, ipſe te abſolvere dignetur à cunctis iniquitatibus, & peccatis tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante Domino ſis abſolutus ante faciem illius, qui vivit & regnat.* Huic ſimilis eſt hæc alia excerpta ab eodem codice. *Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit Apoſtolis ſuis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis, de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per MINISTERIUM NOSTRUM ab omnibus peccatis, & iniquitatibus tuis &c.* Aliæ hujuſmodi afferuntur etiam à Morino ad calcem ſui Operis de Pœnit. in quibus profectò Sacerdos non deprecatur tantum; nam ut vides, profitetur exercere ſe in eo actu poteſtatem clavium, nempè ligandi & ſolvendi, traditam Apoſtolis à Chriſto Domino. Certum eſt autem, Chriſtum Dominum non dediſſe tunc Apoſtolis poteſtatem deprecandi: non enim precando ligamus,

gamus, ſed judicando, & ſententiam ferendo. Igitur Sacerdos profitetur per illa verba, ſe verè judicare, & abſolvere, quamvis ſolùm miniſterialiter. Ergo non deprecatur tantùm, ut Advocatus, ſed etiam abſolvit, ut Judex.

Videtur autem vetus Eccleſia uſa potiùs illis formis, quas exhibent prædicti Rituales quàm ea *ego te abſolvo*, ex ratione non abſimili ei, ex qua Græci maluerunt uti in Baptiſmo eâ formâ, *baptizatur ſervus Chriſti &c.* quàm iſta *Ego te baptizo &c.* Ut enim Græci occaſione ſchiſmatis orti inter Neophitos; quorum aliqui (ut habetur ex Apoſtolo) gloriabantur, quod eſſent à digniori miniſtro baptizati, putarunt magis tunc expedire uti eâ formâ, in qua Miniſter non exprimeretur, nec veniret in recto, & per hoc magis intelligerent Catechumeni, non debere ejus merita attendi ejuſque perſonam, ſed eam Chriſti Domini, qui per ſuum miniſtrum eos baptizabat, ſic occaſione erroris Novatianorum & Montaniſtarum, qui criminabantur Catholicos, perinde ac ſi docerent, Eccleſiam abſolvere peccata ex poteſtate propria, ſeu primaria, ut abſolvit Deus, ut omnem ita calumniandi occaſionem eriperent Eccleſiæ Paſtores, maluerunt uti prædictis formis, *abſolvat te Deus*, *ſis à Deo abſolutus*, quibus expreſſe ſignificaretur Deus abſolvere principaliter,

quàm

quàm illâ *ego te abſolvo*, donec, eo errore ſublato, hæc melior viſa eſt, utpote magis exprimens actum judiciariæ poteſtatis, ideoque fuit formis prædictis ſubrogata. Sic reſpondendum videtur objectioni propoſitæ, ſuppoſitâ ſententiâ aſſerentium, veterem Eccleſiam illis tantùm formis abſolviſſe, quas exhibent Rituales, quod an verum ſit, quærere ſuperſedeo, quandò, hoc etiam ſuppoſito, verè fuere Pœnitentes à ſuis culpis per Eccleſiæ Miniſtros abſoluti, ut oſtendi.

CAPUT II.

Quam Confeſſionem id forum requirat ex Inſtitutione Divina.

POſtquam ſtatui, & oſtendi, fuiſſe verè in veteri Eccleſia forum internum, forum animæ, forum Sacramentale, in quo Pœnitentem confeſſum à vero culpæ reatu Sacerdos abſolvit, oſtendendum eſt, qualis eſſe debuerit ex ejuſdem Chriſti inſtitutione iſthæc confeſſio, num videlicet *omnium* gravium peccatorum internorum externorumque? Hoc enim potiſſimùm negant Hæretici, qui id inventum humanum & novum appellant, nempè Innocentii tertii in Concilio Lateranenſi, quos damnat

Con-

Concilium Tridentinum ſeſs.14. cap.5. ita docens , *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicatâ , univerſa Eccleſia ſemper intellexit , inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere ,* & paulò poſt ex eadem inſtitutione colligit , *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia , quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent , in confeſſione recenſeri , etiamſi occultiſſima illa ſint , & tantùm adverſus duo ultima decalogi præcepta commiſſa .* Tandem circa finem hujus capitis . *Unde cùm à ſanctiſſimis , & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis , quâ ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt , & modò etiam utitur , fuerit ſemper commendata , manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia qui eam à mandato Divino alienam , & inventum humanum eſſe , atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis , initium habuiſſe docere non verentur . Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit , ut Chriſtifideles confiterentur , quod jure Divino neceſſarium , & inſtitutum eſſe intellexerat , ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus , & ſingulis , cùm ad annos diſcretionis perveniſſent , impleretur .*

Et quidem conſueviſſe in Eccleſia ante In-

nocentium tertium fieri confeſſionem omnium gravium peccatorum tanquam præceptam, clariſſima nec pauca antiquitatis monumenta reſtantur.

Et 1. Tertullianus in lib. de Pœnit. redarguit eos, quos ab occultorum peccatorum confeſſione pudor abſterrebat, quos proinde vocat *pudoris magis memores*, *quàm ſalutis*. Igitur confeſſio etiam occultorum habebatur tanquam neceſſaria ad ſalutem, nec eſt, cur nomine occultorum ſignificentur ſola facta occulta, non verò cogitata, aut concupita, cum etiam hæc divino decalogo ſint vetita.

2 Occulta ſimiliter, & cogitationes ipſas pravas Sacerdoti tanquam medico perito manifeſtandas, quâ innuit, quâ docet expreſsè Origenes in locis, quæ optimè expendit Card. Bellarminus de Pœnitentia lib. 3. cap. 7.

3 S. Cyprianus epiſt. 16. lib. 3. minorum quoque peccatorum confeſſionem fieri conſueviſſe dicit, quin, & cogitationum ipſarum factam fuiſſe refert ſerm. 5. de lapſis. Factum autem id eſſe ex perſuaſione præcepti confitendi omnia peccata, conſtat ex eo quod dicit id fideles egiſſe, *ſcientes ſcriptum eſſe Deus non deridetur*. Subditque. *Derideri & circumveniri Deus non poteſt, nec aſtutiâ aliquâ fallente deludi: plus immo delinquit qui ſecundum hominem*

Deum cogitans evadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Inde monet minùs quidem peccaſſe qui ſola cogitatione & voluntate peccarunt, at peccaſſe tamen debereque agere pœnitentiam, & concludit, *Confiteantur ſinguli, quæſo, fratres delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt*. Quis autem ſapienter dicat, præceptam fuiſſe confeſſionem peccatorum, etiam internorum quæ ſunt contra Religionem, de quibus potiſſimum agit Cyprianus, & non aliorum?

4 Paucis annis ab obitu Cypriani ſedit Eutychianus Papa, nempè ann. 275. Is autem decrevit, ut ſeptem ad minus viri ſpectatæ fidei, & probitatis in quavis parochia conſtituerentur, quorum munus eſſet inquirere in mores, & vitam ſuorum parochianorum, & poſtea referre ad Epiſcopum ea de quibus eſſent ab eodem interrogati. Inter ea verò multa, de quibus hi erant ab Epiſcopo interrogandi, eſt hoc. *Eſt ne aliquis qui ad confeſſionem non venerit vel una vice in anno, ideſt in cap. Quadrageſimæ?* Omiſſio igitur confeſſionis habebatur pro delicto, delictum autem non fuiſſet, niſi confeſſio eſſet præcepta; & quidem omnibus qui ſaltem graviter peccaſſent, quandoquidem ab omnibus

bus exigebatur, ut exigitur modò. Et quamvis Eutychianus non eſſet hujus decreti auctor, eſt certè auctoris antiquiſſimi, quandò Burchardus & ipſe auctor antiquus, & eruditiſſimus illud afferens lib. 1. Decretorum cap. 94. cenſuit eſſe tam antiqui Pontificis decretum.

5 Lactantius lib.4.Divinarum Inſtit.cap.17. loquens de Hebræorum circumciſione, *Pœnitentiam* (inquit) *nobis* Deus *in illa circumciſione propoſuit, ut ſi cor mundaverimus, ideſt ſi peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus, & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo qui non faciem ſicut homo, ſed intima, & arcana pectoris intuetur*. Si venia denegatur celantibus, jam præcipitur confeſſio, & quidem omnium; nam de omnibus hìc ſermo eſt, hinc in lib. extrem. Novatianos damnans dicit, eam eſſe veram Eccleſiam, *in qua eſt confeſſio, & Pęnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat*. Hujuſmodi autem vulnus eſt omne peccatum grave.

6 Pacianus in Pareneſi ad Pœnitentiam, *Rogo vos fratres etiam pro periculo meo per illum Dominum quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam: prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos,*

Non rogaret *per Dominum quem occulta non fallunt*, niſi eſſet præcepta confeſſio omnium etiam occultorum, cùm & ipſa conſcientiam vulnerent.

7 S. Auguſtinus hom.48. ex 50. Nemo ſibi dicat. *Occultè ago, apud Deum pænitentiam ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra ſoluta erunt & in Cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt datæ claves Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium fruſtramus verba Chriſti*. Hic S. Doctor manifeſtè docet, non ſufficere pœnitentiam occultam, & cordis, ſed requiri confeſſionem oris, qua manifeſtentur peccata iis, quibus datæ ſunt claves, & quidem omnia, cum claves datæ ſint ad omnia peccata ſolvenda.

8. Sozomenus lib.7. hiſt. cap.16. acturus de Presbytero pœnitentiario ſic proloquitur. *Cum prorſus non peccare naturæ ſit humanâ divinioris, pœnitentibus, quamvis frequenter deliquiſſent, veniam dare Deus juſſit, & ad impetrandam veniam confiteri peccata neceſſarium eſt.* Loquitur autem, ut faciunt hiſtorici, ex communi perſuaſione: hæc igitur erat communis fides, ad obtinendam à Deo veniam neceſſariam eſſe confeſſionem & quidem omnium peccatorum, non verò tantum atrociorum, nam loquitur de omnibus, deque illis ipſis, que *frequenter* commit-

mittuntur, & frequenter remittuntur, qualia certè non ſunt atrocia delicta ſubjecta ſolemni pœnitentiæ, quæ nec bis peragi poterat, nedum frequenter.

9 S. Leo epiſt. 92. ad Ruſticum Narbon. Epiſcopum cap. 18. ita ſcribit. *Si quis convivio ſolo gentilium & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manuum impoſitione purgari. Ab idololytis abſtinentes Sacramentorum Chriſti poſſunt eſſe participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Hìc S. Pontifex diſtinguit duo genera delictorum, unum gravius publicâ pœnitentiâ eluendum, aliud minus grave purgandum jejuniis, & manuum impoſitione, quo ritu diù conſueverunt abſolvere Confeſſarii, docetque utrumque eſſe clavibus ſubjiciendum: non igitur erat præcepta confeſſio eorum tantum, quæ erant per publicam pœnitentiam expianda.

10 Ex eodem S. Pontifice, aliiſque ſcriptoribus antiquioribus habetur, multis in locis coactos fuiſſe fideles omnia peccata publicè confiteri. Id onus imponere auſus fuiſſet nemo, ſi nec ſecreta confeſſio fuiſſet in præcepto. Hinc à Leone in epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni non redarguuntur, quod con-

feſſionem delictorum exigerent, ſed quod exigerent publicam, idque definivit eſſe contra regulam Apoſtolicam, non autem illud: dumque tandem edixit *ſufficere reatus conſcientiarum ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta*, ſatis ſignificavit hanc confeſſionem eſſe pręceptam. Hic enim ſufficere idem eſt ac non requiri aliud, ut ſatisfiat obligationi.

11 Idem in ea celebri epiſt.91. ad Theodorum Forojulii Epiſcopum docet ſic *eſſe ordinata divina præſidia, ut indulgentia Dei nequeat obtineri ſine ſupplicationibus Sacerdotum* abſolventium: de quibus ibi loquitur: tam igitur eſt neceſſaria confeſſio omnium, quam eſt neceſſaria omnium venia.

12 S.Gregorius 1. homil.29. in Evangelia, *Lazaro* (inquit) *dicitur veni foras, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis, foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator, venientem verò foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit*. Hìc certè preceptum confitendi omnia peccata mortalia indicitur, dum *cuilibet mortuo in culpa dicitur egredere &c.* Idem in hac homilia explicans illa

ver-

verba, *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, monet paſtores, ne temere abſolvant, ſed culpam expendant, & pœnitentiam ſequutam poſt culpam, eiſque peccata remittant, *quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat*. Nec diſtinguit unum peccatum ab alio.

13 S. Eligius qui Noviomenſi Eccleſiæ præerat anno 640. homilia 13. poſtquam monuit publicè pœnitentes, ut gravia facinora, quæ commiſerant, ſemper lugeant, ad alios orationem convertit in hunc modum. *Vos etiam fratres poſt exhortationem quam habuimus ad Pœnitentes, mecum admoneo, ut unuſquiſque noſtrum recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta, interroget ſemetipſum, qualiter per totum annum (maximè his ſacris diebus) converſatus eſt, & ſi invenerit in corde ſuo ſpinas, & tribulos delictorum, ſtudeat auxiliante Deo quantociùs evellere, & evellendo eradicare, hiſque eradicatis fodiat vomere ſalutari, & ſtercora ideſt bona opera immittat, ut poſſit facere fructum, &, ſi hodiè pariter confeſſus fuerit, valeat DIGNUS intereſſe ſolemnitati præſentis diei, quæ quia in ea Dominus cum Apoſtolis ſuis cœnavit, cœna vocatur*. Igitur confeſſio etiam minùs gravium peccatorum, pro quibus non agebatur publica pęnitentia, habebatur tanquam neceſſaria conditio, & præparatio ut qui deliquerat poſſet

dignè intereſſe ejus diei ſolemnitati, in qua jubebantur omnes communicare. Idem hom. 15. alloquens pariter populum ſeorſim à Pęnitentibus, *Quicunque ergo veſtrum* (inquit) *his Quadragenorum dierum obſervationibus pęnitentiam, & CONFESSIONIS SUÆ DEBITUM ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias*. Erat igitur confeſſio debita, & præcepta etiam iis qui graviora non admiſerant, ac proinde erat præcepta confeſſio omnium gravium peccatorum; hinc ſubdit. *Quod dico, omnibus vobis dico Clericis, Laicis, ſanctimonialibus, ut quisquis ſe recolit invidiæ aut detractionis, aut odii quoque, & fornicationis, ſive inceſtus, vel perjurii, cæterorumque vitiorum contagione adtactum, ſaltem hodiè per divinæ ſalutis medicamentum, quantum prævalet, ſe purgare procuret. Confiteatur adverſus ſe injuſtitiam ſuam Domino, ut remittat impietatem cordis ſui, & reliquiæ cogitationum ejus diem feſtum agent Domino. Tunc enim reliquiæ cogitationis diem feſtum agunt Domino, quando PECCATOR QUILIBET poſt priùs datam confeſſionem ſe prohibere pollicetur ab impietate ſua*. Et homilia 4. enumeratis omnibus ferè pęccatis veteris hominis, quæ videlicet Apoſtolus recenſet ad Galatas 5. 15. ſic populum alloquitur. *Qui ergo ex vobis talibus, & his ſimilibus involuti*

voluti ſceleribus fuerint, & per confeſſionem, & pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, ſed adhuc in hac vetuſtate perdurant, non ſe à nobis reconciliari poſſe exiſtiment.

14 In libris Pęnitentialibus antiquiſſimis, quorum aliquis ſcriptus fertur ſæculo ſexto aut ſeptimo, agitur de confeſſione tanquam de re præcepta, de confeſſione, inquam, omnium peccatorum, nam pęnitentes de omnibus interrogantur.

15 In Concilio Cabilonenſi ſecundo, celebrato ann. 813. ſic legimus. *Sed & hoc emendatione indigere perſpeximus, quod quidam dum confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo conſtat, hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit confeſſio, ſcilicet ut & ea confiteamur quę per corpus geſta ſunt, & ea quibus in ſola cogitatione delinquitur.* Hic autem, ut patet, Patres monent, non ſolùm quod expediret, ſed quod oporteret agere. Erat igit præcepta non ſolum confeſſio, ſed confeſſio omnium peccatorum etiam internorum.

16 Idem eodem trmpore monet Theodulphus

phus Epiſcopus Aurelianenſis, ita ſcribens ad ſuæ Diœceſis Presbyteros. *Confeſſiones dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſivè in opere, ſivè in cogitatione perpetrantur &c. Quando quis ad Confeſſionem venit, diligenter debet inquiri quomodo, aut qua occaſione peccatum perpetraverit quod peregiſſe ſe confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei perſuaderi, ut de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem.*

17 Adeò libera non fuit antè Innocentium Tertium iſthæc confeſſio, ut in aliquibus Eccleſiis pluries quotannis eſſet peragenda. Ter peragi juſſit in Eccleſia ſua Chrodegangus Epiſcopus Metenſis, qui ſęculo octavo floruit. Sic enim habet in ſua Regula cap. 32. *In unoquoque anno tribus vicibus, ideſt in tribus Quadrageſimis populus Fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit.* Idem decretum legitur in Codice manuſcripto Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. Ex præcepto tamen, aut ex communi conſuetudine, quæ vim præcepti habeat, in omnibus, aut pleriſque Eccleſiis ſaltem ſemel in anno, & præſertim tempore Quadrageſimæ confitebantur omnes. Hinc illud Eutychiani decretum, cujus paulò ante memini: hinc pariter Regino Prunienſis Abbas, qui floruit

ruit anno 908. lib. 2. cap. 65. inter alia, quæ ab Epiſcopo Parochias viſitante de Laicis inquiri jubet, eſt hoc, *Si aliquis ad confeſſionem non veniat, vel una vice in anno.* Hoc autem tempus fuiſſe Quadrageſimam colligitur 1. ex non paucis Patrum homiliis, 2. ex antiquiſſimis Officiorum Ordinibus, in quibus is communis Fidelium uſus aſſeritur, aut innuitur, ut in Ordine Eccleſiæ Turonenſis antè annos octingentos adeòque tribus ſæculis antè Innocentium Tertium ſcripto, cujus meminit prælaudatus Martene, in quo pœnitens accuſat ſe. *Quod in Quadrageſima, ſicut conſtitutum eſt, confeſſus non fui.* Colligitur 3. ex uſu, & precepto quod ſemper fuit in Eccleſia communicandi ſaltem ſemel in anno, nempè in Cœna Domini, ut patet ex decreto Soteri Pontificis, qui Eccleſiam regebat ann. 175. Communionem verò præire confeſſio debebat pariter ex præcepto. Hinc S. Fulgentius in confeſſione, quam ex m.ſ. Codice Corbejenſis Monaſterii edidit Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ pag. 226. inter alia *Ego* (inquit) *Corpus Domini, & ſanguinem ejus polluto corde, & corpore ſine confeſſione, & pœnitentia ſciens indignus accepi.* Similis accuſatio reperitur in confeſſionis formula, quam exhibet Alcuinus in libro de pſalmorum uſu, & alia,

quam

quam ex codice S. Remigii Remenſis, vulgavit idem Menardus pag. 228. Nemo autem ignorat, quàm longo intervallo præceſſerint Innocentium Tertium Fulgentius, Remigius, & Alcuinus. Et quoniam memini Alcuini, qui fuit Bedæ diſcipulus, libet hìc afferre, quod is Doctor venerabilis lib. 5. hiſt. Gentis ſuæ cap. 14. refert de quodam milite, qui cùm confiteri ſua peccata negligeret, vel erubeſceret, etiamſi ab ipſo Rege ſæpiùs eſſet monitus, *ut confiteretur, priuſquam ſubito mortis ſuperventu tempus omne pœnitendi, & emendandi perderet*, tandem horribili præcedente viſione ad Inferni perpetuos cruciatus raptus, neglectæ, dilatæque confeſſionis pęnas juſtiſſimas dedit. Igitur jam tunc intelligebatur, præceptum cuique eſſe non ſolum in morte confiteri omnia ſua peccata, ſed nec eam adeò differre.

18 Demùm extant etiam certiſſima, eaque antiquiſſima monumenta non ſolùm peractæ pręceptęque confeſſionis omnium peccatorum, ſed etiam frequentatæ. Chrodegangus Epiſcopus Metenſis laudatus paulò ante, in regula quam Canonicis ſcripſit cap. 32. *Monachi* (inquit) *in unoquoque Sabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo*. Quin horum aliquos conſueviſſe hoc eodem tempore nempè ſæculo octavo, quotidiè con-

confiteri teſtatur Jonas Aurelianenſis Epiſc.qui incipiente ſæculo nono floruit. Quin aliorum quoque fuit is uſus: nam de Anglicano quodam Epiſcopo narrat Cæſarius Monachus in Dialogo diſt.3. cap.32. uti *quotidiè ſolitus fuit mundare conſcientiam ſram*, additque, *ſicut multi faciunt*. Et certè fieri à multis conſueviſſe, credendum eſt, quando id factum à Ludovico Pio Imperatore produnt hiſtoriæ. Is enim (ut legitur apud Cheſnium tom. 2. Hiſt. Franc.) *Quotidiè confeſſionis ſuæ munus, ſacrificium ſpiritus contribulati, & cordis humiliati, quod Deus non deſpicit, offerebat*. Confitebatur autem Drogoni Metenſi Epiſcopo fratri ſuo. Adoleſcentes quoque vitæ purioris, ſin minùs quotidiè, certè frequenter, ut modò faciunt, hoc remedio contra culpas graviores ſe muniebant. Refert enim S.Theodorus ſtudites in vita S. Platonis, hunc ab adoleſcentia paſtori animæ ſuæ confiteri conſueviſſe, non minùs frequenter, quàm diligenter peccata omnia, ad intimas uſque cogitationes. Plato autem ſub initium ſęculi octavi, aut vertente ſeptimo natus eſt. Eodem quoque tempore, imò longè ante vigebat apud bonos is, qui modò viget, uſus ſanctiſſimus iterum confitendi totius anteactæ vitæ culpas. Nam S. Gregorius Turonenſis, qui floruit ſæculo ſexto, refert apud Mabillo-

billonium Analectorum tom. 4. uti S. Aredius, *ne aliqua ſuum pectus delicta fuſcarent, omnia acta adoleſcentiæ ſuæ coram conſpectu viri beatiſſimi Nicetii Epiſcopi confeſſus eſt*. Idem & iiſdem verbis refert de S. Eligio S. Audoënus in ejus vita lib. 1. cap. 7. Idem narrat de S. Tillone Solemniacenſi Monacho ſcriptor anonymus in ejus vita apud Bollandum 7. Januarii. Tillo autem, uti Eligius circa medium ſæculum ſeptimum floruere. Quin factum id ſemper fuiſſe ſub ipſum ingreſſum in Religionem à Monachis, colligitur ex multis, quæ refert S. Petrus Damiani. Nec is Monachorum tantùm, & paucorum Clericorum uſus fuit, nam idem Petrus Damiani opuſculo 56. refert, uti Agnes Auguſta Romę ante aram Principis Apoſtolorum apud ipſum confiteri omnia voluit quidquid mali, aut egerat, aut cogitarat; *Per lugubres gemitus* (inquit) *& amara ſuſpiria ab ipſa quinquenni infantia quidquid ſubtile, vel minutum potuit in viſceribus titillare, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid ſubrepere potuit in ſermone ſuperfluum, fidelibus relationibus evoluit*. Has autem confeſſiones generales quicunque faciunt, aut fieri ſuadent, vel mandant, moventur ea perſuaſione & fide, quod extet præceptum omnia gravia peccata confitendi. Is ergo uſus non ſolum oſtendit

(ut

(ut reliqua quæ dixi de confeſſionis frequentia) hanc quæ modo viget de confeſſione ſacramentali ſecreta, & auriculari, diſciplinam antiquiſſimam eſſe, ſed præterea confirmat, quod hic potiſſimum intendo, multis ante Innocentium tertium ſæculis, imò ab ipſo Eccleſiæ exortu indictum fidelibus fuiſſe præceptum confitendi omnia gravia peccata, & quidem Divinum, ut docet Eccleſia, utque allata Patrum loca, aut ſupponunt, aut innuunt, aut aſſerunt, ac proindè imprudentiſſimè mentiri Calvinum, qui lib.3. Inſtitut. cap.4. §.7. ex ipſis noſtris annalibus probare contendit *nullam de Confeſſione ſtatam fuiſſe legem, & conſtitutionem ante Innocentii III. tempora*.

CAPUT III.

An Præceptum confitendi omnia gravia peccata ſemper innotuerit Patribus, ſemperque fuerit Fidelibus ſignificatum.

Aſſeruntur Argumenta id negantium.

1. EX allatis teſtibus, aliiſque non paucis, quæ poſſent afferri, ſi benè expendantur, ſatis apertè colligitur, confeſſionem omnium gravium peccatorum non ſolùm longè

longè ante Innocentium Tertium, ſed ab ipſo Eccleſiæ exortu habitam fuiſſe tanquam præceptam, & quidem jure Divino, idque Theologi poſt Patres colligunt, imò univerſa Eccleſia, ut monet Tridentinum ſeſs. 14. cap. 2. colligit, ſemperque collegit ex modo quo Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, qui Jo: 20. diſertè deſcribitur. Colligi etiam poteſt ex natura hujus Sacramenti ordinati, ut ſemper intellexerunt Fideles, ad remiſſionem peccati perſonalis commiſſi poſt Baptiſmum, ut Baptiſmus ordinatur ad relaxationem peccati originalis, & reliquorum commiſſorum ante Baptiſmum. Ut igitur hic eſt jure Divino præceptus, ſic illud. Tandem ſi ſolo jure humano præceptum id fuiſſe crediidiſſet Eccleſia, id jus fuiſſet, aut alicujus Concilii, aut Pontificis. Sed non eſt: Concilia enim, & Pontifices id jus ſupponunt, & ſolùm determinant tempus, aut ritus pœnitentiæ, aut præceptum Confeſſionis confirmant, non autem primò condunt.

Adhuc tamen argumenta non pauca afferuntur ab aliquibus, aut negantibus, id præceptum à Deo latum fuiſſe, aut ſemper Populis ſignificatum.

2 Primum Argumentum petitur, ut fortaſsè non ſemel audiiſti, ex celebri facto Nectarii

ctarii Epiſcopi Conſtantinopolitani, à quo tamen facilè ſe expediunt plerique dicentes ab eo abrogatam fuiſſe cum munere Presbyteri Pœnitentiarii ſolam publicam Confeſſionem, & Pœnitentiam, cujus ille Presbyter miniſter erat, non verò Confeſſionem ſecretam. Verùm non ſolùm abrogavit Nectarius prædicti Preſbyteri munus, ſed prӕterea, ut referunt Socrates, & Sozomenus, cuique permiſit, ut pro ſuæ conſcientiæ judicio ad ſacra myſteria participanda accederet. Ergo permiſit unicuique accedere ad communionem ſine confeſſione. Ex quo ſequitur, aut ſublatum ab eo fuiſſe prӕceptum confeſſionis qualiſcunque, adeòque etiam ſecretæ, aut non aliam in Eccleſia Grӕca confeſſionem fieri conſueviſſe, aut debuiſſe, quàm publicam, quandoquidem, eâ ſublatâ, nullum onus confitendi remanſit, & permiſſum cuique fuit ſine Confeſſione ſumere Euchariſtiam. Cum verò Nectarium reliqui Orientis Epiſcopi ſecuti ſint, ſequitur aut totam Eccleſiam Græcam tunc florentiſſimam erraſſe, quod dici non debet, aut verè à Chriſto non fuiſſe præceptam præſertim ante Communionem, peccatorum Confeſſionem.

Confirmatur hoc argumentum locis innumeris S. Joannis Chryſoſtomi, qui Nectario in eo Epiſcopatu ſucceſſit. Is enim S. Antiſtes

ſæpiſſimè tractat de Confeſſione, & ad eam hortatur, & quidem ad Confeſſionem diſtinctam omnium peccatorum. Non videtur tamen agere de confeſſione quæ fit Sacerdoti, ſed de ea qua quis coram Deo, & ipſi Deo ſe deliquiſſe fatetur, & recenſet omnia peccata ſua, ut omnium ſe reum pronunciet, & omnium recordatione ſe deprimat.

3 In cap. 4. Gen. hom. 20. agens de Lamech, qui confeſſus fuit uxoribus ſuis Adæ, & Sellæ cædem Caini à ſe commiſſam, & enumerans delicta quæ fiunt, fornicationes, adulteria &c. ſubdit. *Jam qui hæc fecit, ſi voluerit, ut decet, uti conſcientiæ adiumento, & ad confeſſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere ulcus qui cruciet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emendabit: confeſſio enim peccatorum abolitio etiam eſt delictorum.* Hactenùs videtur loqui de confeſſione facienda Sacerdoti medico; ſed verè loquitur de ea quæ fit ſoli Deo; nam ſubdit. *Unde cùm Lamech illis ſuis mulieribus cædes à ſe commiſſas detegere, & confiteri non refugit, quali erimus venia digni, ſi ei, qui omnia noſtra accuratè novit delicta, confiteri non volumus peccata?* Supponit ergo confeſſionem fieri ſoli Deo, qui novit

novit omnia, & non fieri Sacerdoti, qui aliena peccata interna, aut clam commiſſa, niſi alter dixerit, ignorat, ut infra fuſiùs explicat. Prȩterquamquod argumentum quod hìc conficit S. Doctor, nullum eſſet, ſi confeſſio eſſet etiam Sacerdoti facienda. Poſtea dicit, hanc confeſſionem fieri facillimè, & ſine ullo labore, quod eſſet falſum, ſi eſſet Sacerdoti facienda: confeſſio ſiquidem facta homini perſȩpè laboris, ac difficultatis plena eſt. Igitur, nec tempore Quadrageſimæ, quo habuit hanc homiliam Chryſoſtomus, aliam confeſſionem exigit quam quæ fit ſoli Deo.

4 Hanc ſolam exigit etiam hom. 27. pariter dicta tempore Quadrageſimæ. Homilia in illud Pſal. 106. *Confitemini Domino* tota eſt laus Confeſſionis, ſed pariter factæ ſoli Deo. Hinc ſola affert exempla eorum, qui ſoli Deo per contritionem confeſſi ſunt. *Ninivitæ* (inquit) *confitentur, & vivunt, Sodomitæ obdurantur, & pereunt: Filii Iſrael quoties peccant, hoſtibus traduntur, quoties ſe peccaſſe fatentur, de eorum manibus liberantur.*

5 Quin aliquando expreſsè, ac diſertè dicit, exigi à peccatore, non ut ſe apud alios accuſet, ſed ut Deo confiteatur. Videtur autem rejicienda eorum interpretatio, qui dicunt, ſolum ab eo ſignificari, non eſſe neceſſariam con-

feſſionem publicam latentium peccatorum : nam monet quidem, non eſſe neceſſariam confeſſionem publicam, ſed addens ſtatim, ſufficere confiteri ſoli Deo, jam innuit quod dicebam ſupra, non aliam videlicet confeſſionem uſurpari ante Nectarium conſueviſſe, aut præceptam fuiſſe, quam publicam graviorum delictorum. Si enim antea, & tunc fieri ſaltem debuiſſet confeſſio ſecreta, non dixiſſet ſufficere confeſſionem factam ſoli Deo, ſed ſufficere eam quæ fit ſoli Sacerdoti, eique qui nulli revelabit audita. Verba S. Doctoris in hom. 41. ad Populum Antiochenum ſunt hæc. *Non tibi dico, oſtenta te ipſum, nec apud alios accuſa, ſed obedi Prophetæ dicenti, revela Dominò viam tuam, ea coram Deo confitere: coram judice confitere peccata tua, deprecans, & ſi non LINGUA, ſaltem memoria, & ita pete tibi miſericordiam exhiberi.*

Hoc primum argumentum ex facto Nectarii, & ex locis Chryſoſtomi petitum facilè ſolvitur, ſi dicatur, Nectarius, & Chryſoſtomus erraſſe cum reliquis Orientis Epiſcopis, qui decreto Nectarii adhæſiſſe dicuntur. Sed hoc ſine injuria earum Eccleſiarum, & Antiſtitum non videtur dici poſſe, & ideò hanc ſolutionem non approbat Card. Bellarmin. hic cap. 14.

6 Se-

6 Secundum argumentum petitur ex eo quod Patres, qui primis quatuor, aut quinque ſęculis floruere, quamvis innumera ſcripſerint circa mores, diſciplinam, Eccleſiæ ritus, & Sacramenta, de confeſſione tamen aut non agunt, aut ſaltem non agunt tanquam de ea, quæ debeat eſſe omnium gravium peccatorum, vel quæ ſit præcepta iis qui poſt gravem culpam velint refici Sacramento Euchariſtiæ, itaut aliter communicare non debeant, quantacunque animum contritio cruciet, & accendat. Hanc univerſam de Confeſſionis pręcepto doctrinam non videntur continere Patrum textus quos allegavimus, quique afferri ſolent. Pręterquamquod pauciſſimi illi ſunt. Nequit ergo ex illis colligi, univerſam quam dicebam, de confeſſione ejuſque pręcepto doctrinam innotuiſſe ſemper Eccleſię univerſę.

Nec dici poteſt, eam à Patribus traditam non fuiſſe, quia à nullo ignorabatur. Nam multa alia tradidere longè faciliora, & cuique notiora. Ergo id etiam tradidiſſent, quod abſque dubio fuiſſet cum primis ſcitu neceſſarium. Pręterea ſi hęc doctrina nota Populo fuiſſet, eam ex inſtructione Patrum, ſuorumque in fide Magiſtrorum Populus hauſiſſet. Ergo ut aliæ illorum inſtructiones ſcriptæ pervenerunt ad nos, hæ quoque perveniſſent.

Nec dici ſimiliter poteſt, hanc doctrinam implicitè tradi ab omnibus Patribus, dum agunt de pœnitentia. Nam cur eam non tradunt explicitè, ac diſertè, ut eam nos tradimus populo rudi? An modò ſatisfaceret muneri ſuo Paſtor, qui non doceret diſtinctè plebem ſuam, uti Chriſtus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ ſic inſtituit, ut voluerit, nos aliquando in vita, & præſertim, cùm volumus ſumere Sacramentum Euchariſtię, confiteri Sacerdoti omnia gravia peccata, quamvis ſolo animo commiſſa, ſed ſolùm moneret, eſſe pœnitendum de peccatis, præſertim cùm volumus ſumere Altaris Sacramentum? Nemo certè id aſſeret, ergo neque Patres, hac generali doctrina, vel hortatione pœnitentiæ, muneri ſuo ſatisfeciſſent.

7 Huic argumento vim addere videtur ea multarum Ecçleſiarum diſciplina, ex qua Catechumeni paulò ante Baptiſmum jubebantur confiteri omnia gravia, aut graviora peccata, quæ commiſerant. *Ingreſſuros Baptiſmum* (inquit Tertullianus in lib. de Bapt. cap. 20.) *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum CONFESSIONE OMNIUM RETRO DELICTORUM, ut exponant etiam Baptiſmum Joannis*. Thaiſi meretrici ad Sancti Nonni

Epi-

Epiſcopi pedes proſtratæ, & Baptiſmum enixe poſtulanti dixit Romana Diaconiſſa. *Surge filia, ut exorcizeris, dixitque ei, Confitere omnia peccata tua*, ut refert Surius 8. Octobris. S. Gregorius Nazianzenus ſermone in ſanctum lavacrum ſic alloquitur eum, qui Baptiſmum eſt ſuſcepturus. *Ne dedigneris tuum prodere peccatum, cùm ſcias, quemadmodum Joannes baptizabat, ut confuſione præſenti futuram evadere poſſis*. Id ipſum monet Chryſoſtomus ſupra allegatus. Accedit teſtimonium Euſebii, & Socratis, quorum primus lib. 4. de vita Conſtantini Imperatoris cap. 61. ejus Baptiſmum ſic deſcribit. *Hæc cùm ſecum reputaſſet, genu flexo humi procumbens veniam à Deo ſupplex popoſcit peccata ſua confitens in martyrio, quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primum meruit accipere*. Alter verò lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. agens de Serapidis Templi ſubverſione refert, quod tunc *multò plures ad Chriſtianam Religionem ſe contulerunt, & peccata ſua CONFITENTES baptiſmum Chriſti ſuſceperunt*. Ex his confirmatur argumentum in hunc modum. Scriptores, Doctoreſque earum Eccleſiarum in quibus fuit uſus, aut præceptum confitendi ante Baptiſmum, id diſertè, & explicatè referunt factum, aut faciendum monent, ergo

iidem diſertè, & explicatè referrent, id eſſe factum, aut faciendum docerent ante Communionem, vel aliquando in vita, ſi verè in ſuis Eccleſiis fuiſſet uſus; aut præceptum confitendi omnia peccata ante communionem, vel aliquando in vita. Imò id monuiſſent multò magis, nam ea confeſſio ante Baptiſmum non fuit à Chriſto inſtituta, aut juſſa, ut ea fuiſſe creditur, quæ eſt poſt Baptiſmum peragenda. Rursùs ita arguitur. Quia poſt aliquot ſæcula non fit amplius à Scriptoribus mentio hujus confeſſionis præcedentis Baptiſmum, colligimus, eam fieri deſiiſſe, ergo quandoquidem Scriptores aliquorum ſæculorum non faciunt mentionem hujus confeſſionis complectentis omnia gravia peccata, tanquam præceptæ à Chriſto Domino, & neceſſariò faciendæ ante communionem (nullus enim eorum textus, qui hanc totam doctrinam contineat, producitur, ut dicebam) jam debet colligi, non extitiſſe tunc uſum talis confeſſionis ſic univerſalis, & præceptæ.

8 Confirmatur iterum ſic. Quia Patres omnium ſæculorum verè uſurparunt Sacramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ, & utriuſque præceptum à Chriſto manaſſe non ignorarunt, in locis innumeris de utroque Sacramento agunt, ut nos agimus, & utriuſque præcep-

tum,

tum, ut nos facimus, populo exponunt. Ergo ſi verè uſurpaſſent Sacramentum prędictę confeſſionis univerſalis complectentis omnia gravia peccata, & præceptam eam eſſe credidiſſent, id expreſsè populo ſignificaſſent, ut nos ſignificamus, inque locis innumeris, aut ſaltem frequentiſſimè de prædicta confeſſione, ejuſque præcepto diſertè tractaſſent. Utrumque enim credere, & callere diſtinctè debet populus. Quare licet hoc argumentum negativum, *Patres id ſe feciſſe nunquam dicunt, ergo id non fecere*, non ſemper vim habeat, aliquando tamen habet, & magnam habet, cùm videlicet aliundè probatur, debuiſſe illud memorari, ſi factum fuiſſet. Oſtendi autem, debuiſſe Patres ſæpiſſimè agere diſertè de confeſſione, ac docere, neceſſariam eſſe confeſſionem omnium gravium peccatorum etiam ſola cogitatione commiſſorum, ut nos frequentiſſimè populum docemus, præſertim cum de Altaris Sacramento participandum eſt, quod olim populus frequentiſſimè faciebat, ideòque hac monitione magis indigebat.

9 Adde, ſępiſſime Patres interpretari ea Apoſtoli verba *Probet autem ſe ipſum homo etc.* Nec tamen dicunt clarè ac diſertè, tradi ibi à Paulo præceptum confitendi omnia gravia pec-

cata

cata etiam interna, ut nos ſemper ea interpretamur. Nunc rogo, cur nos ſic interpretamur ſemper & quidem verbis nihil ambiguis, illi non ita? Cur tam ſæpe monent populum, *ne accedas indignè*, nunquam autem dicunt, *confitere antea quæcunque te gravis culpæ reum faciunt, pravas omnes cogitationes, prava deſideria &c.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Jo. cap. 17. peccatorem non audentem propter indignitatem ſuam accedere ad communionem, allegantemque prædictum locum Pauli ad Corinth. 1. cap. 11. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, hortatur ut accedat, ſed bene diſpoſitus & diſpoſitionem docet; Qua autem ratione id faciat, audi. *Quando igitur quicunque tu es qui iſta dicis, dignus eris? Quando Chriſto te ipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis (quis enim delicta intelligit ſecundum pſalmiſtam) expers omnino eris vivificæ hujus ſanctificationis. Quare* (ecce remedium quod unicè proponit Cyrillus) *pias quæſo cogitationes ſuſcipias, ſtudiosè, ſancteque vivas, & benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolùm, verum etiam morbos omnes repellit.* Hæc Cyrillus confeſſionis remedium nec innuens quidem, cum erat directè & po-

tiſſi-

tiſſimùm proponendum, & potiùs ſignificans aut innuens non eſſe neceſſarium remedium, quo antea vivificemur, ſed ipſam Euchariſtiam eſſe inſtitutam ad vivificandum, & non ſolum ad morbos depellendos, quæ videtur fuiſſe communis Patrum ſententia, quare mirum non eſt, quod, exceptis gravioribus, publicisque delictis, propter quæ graviori & publica pęnitentia ſatisfaciendum erat Deo & Eccleſiæ, minimè docuerint debere Communioni Confeſſionem præire.

10 S. Auguſtinus ſerm. 252. de Tempore, *Ideo* (inquit) *fratres chariſſimi unuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam, & quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognoverit, priùs orationibus, jejuniis, vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere*. Ubi nam aptius quàm hic confeſſionis mentionem faceret? Et tamen non facit. Cur? Niſi quia ea non exigebatur tanquam ordinaria præparatio. Nec facit, quod alibi hortetur eum, qui Decalogi præcepta violavit, adire ante communionem Antiſtitem, ſeu Præpoſitum Sacramentorum: id enim ſuadet tantùm, non poſtulat tanquam præceptum, niſi cùm peccatum eſt commiſſum cùm tanto aliorum ſcandalo, ut pęnitentia agenda *ſit in notitia multorum, vel etiam totius plebis*: alioquin non

non ſolum eſſet neceſſaria ante communionem confeſſio, ſed præterea confitendum eſſet Antiſtiti, nempè Epiſcopo: hunc enim adiri vult Auguſtinus.

11 Hinc autem deſumitur tertium argumentum. Per aliquot enim ſæcula nullus alius fuit, excepto mortis articulo, aut alia hujuſmodi neceſſitate, miniſter ſacramenti Pęnitentiæ quàm Epiſcopus, hinc S. Auguſtinus hom. 50. ad Antiſtitem mittit (ut dicebam) eum, quem ad confeſſionem ſuorum delictorum inducit, quod facit etiam in epiſt. 118. ad Januarium, & alibi. Similiter S. Leo ea epiſt. 91. quam citavi cap. 3. Præpoſitis Eccleſiæ (qui certè ſunt ſoli Epiſcopi) poteſtatem remittendi peccata, curandique confitentes tributam dicit. S. quoque Gregorius hom. 26. in Evangelia munus ſolvendi Lazarum ſuſcitatum, nempè peccatorem à Deo excitatum ad pęnitentiam, ſolis Eccleſiæ Paſtoribus attribuit. Paſtores autem Eccleſiæ ſunt ſoli Epiſcopi.

12 Accedit teſtimonium ſcriptorum. Nicephorus Cartophylax, qui vixit ſæculo octavo, ac proinde callere certiùs potuit antiquam diſciplinam, ita ſcribit in epiſt. ad Theodoſium, cujus fragmentum extat in primo tomo Bibliothecæ ſanctorum Patrum, & affertur à Card. Bellarmino de Pęnit. lib. 3. cap. 10. *Olim omnes*

opor-

oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaquè illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum ſit, cur hæc minus obſerventur. Quamvis exiſtimem Pontifices negotii tedio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos id operæ ad Monachos tranſmiſiſſe. Idem teſtatur Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus part. 2. lib. 1. cap. 6. art. 6. *Pœnitentiæ miniſter unus olim erat Epiſcopus, qui ſolus peccatorum confeſſiones excipiebat.* Additque, Epiſcopos poſtea in hujus muneris communionem vocaſſe Presbyterum indè dictum Pęnitentiarium, quo per plura ſæcula caruere Eccleſiæ præſertim Occidentales. Ex hoc videtur probari, non fuiſſe olim præceptam confeſſionem omnium etiam latentium peccatorum, quia jam omnes debuiſſent Epiſcopo manifeſtare omnia delicta ſua etiam occultiſſima magnique dedecoris, quod fuiſſet onus intolerabile non ſolum pęnitentibus coactis infamare ſe apud Præſidem ſuum, ſed etiam Epiſcopis, qui infinitis aliis occupationibus urgebantur. Ipſi enim tunc concionem habebant ad Populum. Ipſi moralibus quæſtionibus, & dubiis, ut plurimùm reſpondebant. Ipſi in multis etiam Laicorum controverſiis judicabant. Non igitur tempus ſupererat quod impenderent audiendis Confeſſioni-

ſionibus, quæ ſolæ tunc in ea communionum frequentia totum Epiſcopum poſtulaſſent.

13 Hinc autem, nempè ex uſu tunc valdè communi communicandi frequentiſſimè conficitur quartum argumentum. Quamvis enim non ſoli Epiſcopi, ut oſtenſum eſt, ſed omnes Sacerdotes confeſſiones excipere conſueviſſent, adhuc tamen ſatisfieri nequiviſſet omnibus, ſi quicunque poſt gravem culpam communicabant, confiteri antea, & reconciliari debuiſſent. Id ut conſtet, oſtendendum eſt, quanta tunc eſſet in Eccleſiis omnibus aut pleriſqne communionis frequentia. Oſtendam autem teſtimonio eruditorum. *In primitiva Eccleſia* (inquit Joannes Belethus in lib. de Divinis Officiis cap. 120.) *præceptum erat, ut ſingulis diebus Corpus Domini ſumeretur: poſtea verò creſcente numero Fidelium, ut ſingulis diebus Dominicis, unde etiam nunc in Græcia ſub anathemate punitur qui à tribus diebus Dominicis non communicaverit*. Similiter Petrus Bleſenſis ſerm. 16. *In primitiva Eccleſia quotquot intererant conſecrationi Euchariſtiæ* (intererant autem omnes qui poterant) *communicabant eidem. Poſtquam autem crevit numerus Fidelium, nec omnes accedere ad Euchariſtiam viſum eſt, ſtatutum eſt, ut ſaltem diebus Dominicis Fideles communicent.* Quod Auctores dicunt de primitiva Eccleſia fun-

fundamentum aliquod habet in Actis Apoſtolorum & longè majus in celebri decreto Anacleti expellentis ab Eccleſia eos qui de ſacrificio, cui interſunt, non communicant. Quod autem dicunt de Eccleſia adultâ, quâ innuitur, quâ aſſeritur à Patribus, & præſertim à Joanne Chryſoſtomo pluribus in locis. Auctor quoque ſerm.25. inter adſcriptos S. Ambroſio in nova editione operum ejuſdem ſancti Doctoris ita ſcribit. *Omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare*. Tempore autem Ambroſii, & Chryſoſtomi populoſiores Urbes erant quàm modò ſint, inque ipſis plerique Fideles erant pauci Gentiles, numerus autem Fidelium qui graviter peccabant, ingens profectò erat, ut infra oſtendam, non autem ita ingens, ut modò eſt, numerus Sacerdotum. Qui ergo poterat toti Populo, communicare volenti, quavis die Dominica ſatisfieri, & confeſſiones excipi omnium qui urgente præcepto, poſtulaſſent audiri? Nec, ſi decuplo major quam modò, fuiſſet tunc numerus Sacerdotum, audiri omnes potuiſſent, cum præſertim confitentibus qui graviter peccarant, confiteri etiam reliqui ut modò faciunt, voluiſſent, quod tamen factum non fuiſſe conſtat.

14 Hinc autem petitur quintum argumentum, nempè ex more ſolemni apud antiquos mini-

minimè confitendi, cum gravia peccata commiſſa non erant, ſed ſola venialia. Hinc S. Auguſtinus, aliique eorum temporum Patres, dum de expiatione venialium agunt, non eorum confeſſionem, ſed alia remedia proponunt; & præſertim Orationem Dominicam. Nec prodiunt eorum ſæculorum hiſtoriæ, remedio confeſſionis uſos unquam fuiſſe ſanctos Patres, utpote qui culpis lethalibus carebant, nec mos inoleverat ſola venialia confitendi. Igitur nullum extabat, aut nullum extare tunc cenſebatur præceptum gravia peccata confitendi. Cùm enim difficilè ſit de ſuis cogitationibus, interniſque actibus certum ferrè judicium, & culpas leves à gravibus diſcernere, ea perſuaſio præcepti, & qui natus ex ea fuiſſet in pleriſque aut ignaris, aut timidioribus, timor ſacrilegii ad confeſſionem compuliſſet etiam illos qui ſola venialia commiſerant. Atqui docent eruditi hos minimè conſueviſſe ad confeſſionem accedere. Ergo nondum erat in populo Chriſtiano hujus perſuaſio præcepti, quæ modò facit ut innocentes quoque, immo frequentiùs quam reliqui, confiteantur, ut ſaltem ſuas dubitationes & ſcrupulos deponant.

15 Hinc autem deſumitur ſextum & ultimum argumentum. Is enim morbus, quem ſcrupulorum dicimus (& eſt anxia quædam & nun-

nunquam requieta dubitatio carens ſolido fundamento, ne actio vel facta, vel facienda prava ſit, præſertim verſans circa confeſſiones, ne quid neceſſarium omiſſum ſit, aut omittatur) ignotus fuit antiquis Fidelibus, nec Patres qui de reliquis omnibus morbis curandis perſæpè tractant, de morbo ſcrupulorum tractant unquam, nec referunt unquam, hoc morbo dubitationum timorumque circa præteritas confeſſiones, quibus modò cruciantur innumeri, fuiſſe ullum vel in morte correptum, & propter hoc confeſſionem diſtinctam totius anteactæ vitæ, quam dicimus generalem, peragere voluiſſe, ut à multis jam ſæculis innumeri laudabiliter peragunt, aliqui ex neceſſitate, aliqui ex abundantiori pietate, aliqui ex prædicto morbo. Cur autem modò tam anxius timor circa confeſſionis integritatem, olim autem nullus? niſi quia aut inuſitata olim fuit iſta confeſſio, aut ignotum præceptum eam faciendi ſic integram, nempè omnium gravium culparum, etiam ſolo interno conſenſu commiſſarum, circa quas oriri dubitatio faciliùs ſolet. Certè nulla alia ratio, ut videtur, afferri poteſt. Igitur hoc præceptum omnia gravia peccata confitendi aut olim in Eccleſia non fuit, aut cognitum non fuit, ſed illud ſolum petendi abſolutionem graviorum delictorum, pro quibus Epi-

D ſco-

ſcopus publicè ſatisfieri voluiſſet, quæ ſanè diſciplina harum dubitationum, ſeu ſcrupulorum cauſa, vel occaſio eſſe non poterat.

Hæc argumenta ex multis quæ afferri poſſunt, afferenda potiſſimùm cenſui, quia majorem vim præſeferunt contra doctrinam cap.2. ſtatutam.

Cler. Et videntur habere maximam.

Auct. Videlicet non expendentibus illa, hærentibuſque in primo cortice eorum quæ proponuntur, ut hæſerunt illi, quorum reſponſiones mox referam, antequam verâ reſponſione hæc argumenta diſſolvam.

CAPUT IV.

Triplex reſponſio proponitur, & rejicitur.

1 FUit qui putavit, ſalvâ fidei doctrinâ, dici poſſe, Divinum quidem eſſe Confeſſionis, ut modò fit, agendæ præceptum, ſed Eccleſiam per aliquot ſæcula latuiſſe, ut eandem latuiſſe videtur aliquandiù præceptum pariter Divinum ſuſcipiendi Baptiſmum poſt ſufficientem fidei inſtructionem, & præparationem, nec ipſum differendi per annos multos, & multò minùs uſque ad mortem, ut etiam quarto ſæculo cum jam perſecutiones ceſſarant, quæ

for-

fortè eam dilationem honeſtaverant, innumeri etiam benè morati fecerunt, Eccleſia permittente, & quidem citra errorem, cùm non doceret eam dilationem licitam eſſe, ſed non doceret eſſe illicitam, ut poſtea docuerunt Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, aliique Eccleſiæ Patres, quibus patuit, quod alios antea latuerat.

Ad locum verò Tridentini aſſerentis, innotuiſſe ſemper Eccleſiæ præceptum Divinum omnia gravia peccata confitendi, reſpondebat idem, non tradi ibi doctrinam Fidei, ut ſit ubi Canones proponuntur, ſed eruditionis, nec jus condi, ſed factum referri, vel non ita ſeverè illam vocem *ſemper* accipiendam, ut omnia Eccleſiæ tempora complectatur.

2 Sed hæc interpretatio prava eſt, & malam doctrinam continet; & rurſus ipſa reſponſio mala eſt, & contraria Traditioni, Patribus, & Tridentino, ac proindè eſt omnino rejicienda. Nec illud verum eſt quod huic reſponſioni confirmandæ dicebatur circa dilationem Baptiſmi à veteri Eccleſia permiſſam, velut ex ignoratione Divini præcepti. Tempore perſecutionum non fuit ea dilatio damnata, immo perſæpè approbata & volita, ne tam multi in quæſtione fidei laberentur, & deſciſcerent, ut illi præſertim faciebant qui Baptiſmum ſuſce-

perant non ſatis diù probati, vel non ſatis uſu temporis de Chriſtianæ fidei oneribus edocti. Pace Eccleſiæ reddita per Conſtantinum, manſit aliquandiù nempè ſexaginta, aut ſeptuaginta annis ea permiſſio, non ex ignoratione Divini præcepti, ſed 1. ex benigna ejus interpretatione, 2. ex timore, ne pax reddita Eccleſiæ turbaretur, & redirent iterum tyranni, perſecutiones, tormenta, pericula deſerendi Chriſtianam religionem, ſi facilè conferretur Baptiſmus, 3. ex infirmitate multorum qui quamvis noſtram fidem eſſent amplexi, Eccleſiaſticam tamen diſciplinam & cenſuram, cui Fideles baptizati ſubjecti erant, reformidabant, 4. demum ex vi longæ conſuetudinis, quæ, cùm libertati favet, difficilè deſeritur, &, ſi communis eſt, non illico tota, ſed per partes, lapſuque multi temporis enervatur, & concidit.

3 Secunda reſponſio non admodum diſcedit à prima, docetque, hoc præceptum confeſſionis innotuiſſe quidem ſemper Eccleſiæ à primo ejus exortu, non quidem Fidelibus paſſim, ſed Paſtoribus pleriſque; ab his autem non illico fuiſſe totum, & integrum præceptum ſignificatum populis, ſed per partes, juſſis primùm confiteri atrociora, inde omnia externa, quæ ſola proinde in libris pœnitentialibus antiquiſſimis plectuntur, tandem omnia, ſive ſola interna

eſſent,

eſſent, ſive etiam externa, ut certè non latuere Apoſtolos Jeroſolymis congregatos novæ legis præcepta, quæ ſunt multò plura tribus, vel quatuor, ſed illud quoque, Spiritu Sancto docente, intellexerunt, Eccleſiam Antiochenam ex Hebræis, & Ethnicis ad fidem converſis conſurgentem ita fuiſſe temperandam, ut illis legis Moſaicæ amantiſſimis ejus aliqualis cultus, & uſus permitteretur, his amantiſſimis ſuæ libertatis tria ſolum vel quatuor præcepta indicerentur, ſcribereturque in hunc modum. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos benè agetis. Valete.* Quo factum fuit, ut ſuaviſſimè lex vetus interierit, & nova ſucceſſerit: illa non tota ſtatim deſierit, hæc non tota ſtatim inceperit; illa non fuerit tanquam mala rejecta, ſed tanquam inutilis relicta; hęc viſa fuerit eſſe jugum ſuave, & frenum quod regeret arbitrium, non extingueret libertatem.

Sed neque iſta reſponſio ſuſtineri poteſt: nam (ut omittam alia, quæ eam improbabilem faciunt) Concilium Tridentinum docet, id pręceptum innotuiſſe ſemper Eccleſiæ univerſæ; nomine autem Eccleſiæ non ſignificantur

hic ſoli paſtores, ſed etiam reliqui Fideles.

4. Tertia Reſponſio eſt, diſtingui debere pręceptum confitendi omnia gravia peccata à pręcepto ea confitendi, quotieſcunque ſuſcipiendum eſt Euchariſtiæ ſacramentum, primum pręceptum obligare ſolùm in morte, ſeu in periculo mortis juxta graviſſimorum Doctorum ſententiam apud Suarium diſp.35. ſect.3, num.3. Et hoc innotuiſſe ſemper Fidelibus, qui in mortis periculo ſemper conſueverunt petere pœnitentiam, ſeu reconciliationem, adeoque confiteri peccata ſua, ut colligitur ex innumeris Conciliorum decretis, & ex epiſt. 180. D. Auguſtini ad Honoratum, quam ſupra allegavi, aliiſque Patrum locis, in quibus is mos innuitur.

Secundum autem pręceptum confitendi omnia gravia peccata ante Communionem aut divinum non eſſe, ut non pauci graveſque Theologi & Canoniſtæ docuere, quos citat, & rejicit Suarius in 3. part.tom.3.diſp.66.art.5.ſect.3. aut, ſi divinum eſt, per aliquot ſęcula latuiſſe Eccleſiæ Doctores, nempè toto eo tempore, quo ſi obſervandum fuiſſet, plerique Fideles ex defectu Sacerdotum rariſſimè communicaſſent cum graviſſimo Eccleſiæ damno, quæ tunc maximè Euchariſtiæ ſacramento refici, & armari opus habebat; vel innotuiſſe quidem omnibus,

nibus, ſed eo tempore non obligaſſe ex prędicto Sacerdotum defectu, qui tantus fuit initio Eccleſiæ, & aliquanto poſt tempore, ut vix unus eſſet in totis urbibus aut regionibus. Si igitur fuiſſet ante communionem poſtulata confeſſio diſtincta omnium peccatotum facta Sacerdoti, plerique toto anno, & pręſertim in feſtis pręcipuis à communione abſtinuiſſent, & quidem etiam qui gravi culpa carebant, ſed timore gravis culpæ (qui multi ſunt) non carebant, quod ſanè pernicioſiſſimum Eccleſiæ fuiſſet, eo præſertim tempore perſecutionum, ut dictum eſt, quodque contrarium videbatur voluntati divini Inſtitutionis, qui hoc Sacramentum eſſe voluerat quotidianum, aut ſaltem frequentiſſimum Fidelium alimentum. Putarunt ergo Eccleſiarum Paſtores, hoc pręcepto tunc Fideles minimè aſtringi (uti nos aſtringimur modò, cùm tanta ſuppetit copia Sacerdotum) & ſufficere, cùm Sacerdoti diſtinctè confiteri non poterant, eam internam pœnitentiam ex charitate conceptam, quam contritionem vocamus (quam ſemper Eccleſia intellexit eſſe in hoc caſu omnino neceſſariam) & generalem culparum confeſſionem & abſolutionem, aliamque hujuſmodi externam pœnitentiæ aut charitatis ſignificationem, quæ eſſet aliquale confeſſionis ſacramentalis ſupplementum. Id-

que videtur ſignificaſſe Apoſtolus illis verbis, *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, ideſt (ut eorum temporum Patres interpretati ſunt) *unuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam* (verba ſunt Auguſtini ſerm.252. de Temp.) *& quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognoverit, prius orationibus jejuniis, vel eleemoſynis*, nempè eo modò quo poteſt, & pręſertim contritione *ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Eucharistiam præſumat accipere*.

5 Hinc autem ortus videtur ille mos antiquiſſimus, qui nunc etiam viget, ut videlicet ante communionem fiat confeſſio generalis, qua confitemur coram Deo, Deipara Virgine, B. Michaele Archangelo &c. & omnibus adſtantibus deliquiſſe cogitatione, verbo, & opere, cujus confeſſionis multæ ſunt formulæ apud antiquos, illa præ cęteris memoranda, quam inſtituit Gregorius III. ut dicitur in antiquo Codice Gellonenſi, *Confiteor tibi Deus meus, quia ego peccator in Cælo, & in Terra, & coram te, & coram Angelis tuis, & coram facie omnium Sanctorum tuorum peccavi per negligentiam mandatorum tuorum, & factorum meorum. Peccavi per ſuperbiam, & invidiam, peccavi per detractionem & avaritiam per luxuriam & libidinem, per adulterium, & fornicationem, per iram, & malitiam, per falſum teſtimo-*

ſimonium, & homicidium, per furtum, & rapinam, per blaſphemiam, & deſiderium carnis, per gulam, & ebrietatem, per otioſas fabulas, & riſum moventia, per contentiones, & rixas, per juramentum, & iracundiam, per lætitiam terrenam, & tranſitoriam, per ſuavitatem mentis meæ, per dolorem, & murmurationem. Peccavi in oculis, & in auribus, necnon & in naribus, in lingua, in gutture, in collo, & in pectore, & in corde, & in cogitationibus inanibus, & in pedibus, in oſſibus, & in carne, renibus, & medullis, in animo, & in corpore meo &c. Quam confeſſionem omnia delicta complectentem, ut ſinguli ex adſtantibus ejus ſe culpæ reum agnoſcerent, quam verè fecerant, ſequebatur generalis illa omnium pœnitentium abſolutio deprecatoria *Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum &c.* quam etiam modò recitat Sacerdos ſuper communicaturos, quaque Laici ipſi, deficiente Sacerdote veniam alteri apprecabantur, & ſuo modò ſe viciſſim abſolvebant. Ex eadem quippè Sacerdotum inopia ille mos inolevit in veteri Eccleſia, qui diutiſſimè perſeveravit, confitendi videlicet laico qui prędicto modò abſolvebat, cum Sacerdos qui confeſſionem pœnitentis de vita periclitantis exciperet, haberi non poterat,

rat, quo modo fuiſſe confeſſum & abſolutum in mortis diſcrimine pœnitentem, refert S. Auguſtinus infra citandus, utque etiam modò Sacerdos initio Miſſæ confitetur culpas ſuas, & abſolvitur. Quæ quidem omnia oſtendunt quidem, debuiſſe ſemper confeſſionem præire communioni, ſed eam confeſſionem quam tempora permitterent, modò quidem diſtinctam, & factam Sacerdoti, quia is facilè haberi poteſt; olim verò generalem & factam cui fieri poterat, quia Sacerdos qui ſingulorum diſtinctas confeſſiones omnium peccatorum audiret, haberi non poterat.

6 Fundamentum hujus ſententiæ eſt primò, ut videtur, authoritas Apoſtoli id ſolùm exigentis à Fidelibus eorum temporum, ut ſe probent. Eſt ſecundò authoritas Doctorum eorum temporum ſic explicantium hęc verba Pauli, ut nihil exigant aliud, quam ut *examinent conſcientiam ſuam*, *& ſe mundent orationibus*, *jejuniis*, *& eleemoſynis &c.* ut dictum eſt paulò ante. Eſt 3. uſus qui fuit in antiqua Eccleſia tam ſępè communicandi, ut produnt omnes hiſtoriæ: nequiit autem eſſe tam frequens communio, ut oſtenſum eſt, ſi communionem pręire debuit confeſſio particularis, ac diſtincta omnium peccatorum. Eſt 4. tota vetus hiſtoria, in qua vix ullum veſtigium hujus con-

confeſſionis omnium peccatorum peractæ ante communionem ab omnibus, ſed ſolum ejus quæ fiebat ab aliquibus qui atrociùs & cum ſcandalo peccarant.

Nec videtur hæc ſententia ulla ex parte contraria doctrinæ Catholicæ, nam fatetur 1. dari verum ſacramentum Confeſſionis. Fatetur 2. dari pręceptum Divinum confitendi aliquando & ſaltem in morte omnia gravia peccata. Fatetur 3. dari præceptum ſaltem Eccleſiaſticum, & univerſalem conſuetudinem multi temporis confitendi Sacerdoti omnia gravia peccata ante communionem, adeoquè modò confeſſionem eſſe eam neceſſariam probationem quam exigit Apoſtolus ab eo qui poſt gravem culpam velit communicare, nec ſufficere ullam perſuaſionem, qua quis putet ſe contritum, & maximè contritum, ut docet Tridentinum ſeſs.13. cap.7. Fatetur 4. dari etiam præceptum Divinum ſic confitendi ante communionem, idque intellexiſſe ſemper Eccleſiam. Ut autem omnes docent, id pręceptum non obligare, cum quis confiteri hoc modò non poteſt ex defectu Confeſſarii, & omitti ſine ſcandalo communio non poteſt, ita addit hęc ſententia id præceptum non obligaſſe per aliquot ſæcula, cùm pauciſſimi erant Confeſſarii, & communio diutiſſimè, & in feſtis etiam pręcipuis

cipuis omiſſa fuiſſet à pleriſque etiam juſtis; ſed facilè de ſua juſtitia dubitantibus, cum graviſſimo Eccleſiæ detrimento, & contra mentem Divini Inſtitutoris, qui hoc Sacramentum voluit prȩſertim tempore perſecutionum à Fidelibus frequentari.

7 Sed neque hȩc reſponſio admittenda eſt. 1. quia hoc exemplo facilè Fideles abuterentur, fingenteſque neceſſitatem veram & excuſantem, cum verè non adeſt, paulatim omitterent ſua peccata ut modò fit, ante communionem confiteri. 2. quia videtur contraria communi traditioni Eccleſiarum & Patrum. In omnibus enim Eccleſiis à tempore immemorabili conſueverunt Fideles omnes tempore Quadrageſimæ confiteri, eaque confeſsione prȩparare ſe Euchariſtiæ, quam in Cœna Domini ſuſcipiebant. Fuit igitur communis, & omnium temporum hȩc perſuaſio, confeſsionem, ut modò facimus, eſſe communioni præmittendam. Hinc S. Ambroſ. lib. 6. in Lucam cap. 37. exponens cap. 9. *Ubique* (inquit) *myſterii ordo ſervatur, ut priùs per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ Cœleſtis exuberet*. S. quoque Leo in ea epiſtola 91. cujus memini cap. 1. dicit, ſic eſſe ordinata divina præſidia, ut peccatores *ad communionem Sacramentorum per januam*

januam reconciliationis, adeoque confeſsionis *à Præpoſitis Eccleſiæ admittantur*. Meminit autem Prępoſitorum vel ſignificans hoc nomine omnes animarum curatores, & Sacramentorum miniſtros, vel quia Epiſcopi præſertim habent hac poteſtatem. 3. demum quia contraria eſt communi Theologorum perſuaſioni, à qua quidem nunquam, ſed prędſertim in re tanti momenti, recedendum eſt.

CAPUT V.

Vera Reſponſio ſuſtinetur, & primum Argumentum initio capitis tertii ex facto Nectarii, & locis Chryſoſtomi petitum ſolvitur.

REjectis, quas attuli Reſponſionibus, retinenda doctrina eſt, quam ſtatui cap. 2. initio cap. 3. & ſub finem quarti, nempè præceptum confitendi omnia gravia peccata etiam ſolo actu interno commiſſa Divinum eſſe, ſemperque fuiſſe Doctoribus compertum, & Populis ſignificatum. Rursùs conſueviſſe ſemper Eccleſias benè gubernatas confiteri diſtinctè Sacerdoti ante Communionem omnia gravia peccata, vel id fecerint ex ſolo præcepto Eccleſiaſtico, vel, ut omninò dicendum eſt,

etiam Divino, quod hìc non quæro.

1 Antequam verò ſolvam ea ſex argumenta, quæ tibi tam valida viſa ſunt, moneo, ea omnia in Auctorem ſuum retorqueri, adeòque, aut vim nullam habere, aut habere etiam contra ipſum. Fuerit e. g. verùm quod dicitur in primo argumento, à Nectario factum, nempè ſublata obligatio confitendi ante Communionem, infero. Ergo erat antea in Eccleſia Græca uſus, & præceptum confitendi ante Communionem. Cur ergo Chryſoſtomus, etiam antequam id faceret Nectarius, adeòque cùm lex Confeſſionis vigebat, monet non exigi à Deo hanc Confeſſionem, & ſufficere eam quæ ſit ſoli Deo, ut dicitur in primo argumento? Cur Patres Nectario antiquiores nunquam, aut vix unquam agunt de iſta Confeſſione, nunquam de præcepto confitendi ante Communionem omnia gravia peccata, quamvis ea Apoſtoli verba explicent, ut dicitur in ſecundo Argumento? Quomodo potuit Epiſcopus audire omnes, ut objicitur in tertio? Et quamvis dicantur etiam reliqui Sacerdotes id munus objiſſe, quomodo potuerunt pauci, qui tunc erant, ut dicitur in quarto Argumento, audire omnes qui tam ſæpè, nempe ſingulis diebus Dominicis Conſtantinopoli Urbe populoſiſſima communicabant? Quomodo potuerunt

tunc

tunc omnes etiam rudes, etiam timidi ſic diſtinguere lethalia, & gravia à levibus, ut illi ſoli, qui ea commiſerant ad Confeſſionem accederent, alii verò ſine Confeſſione, & ſine ullo timore ſacrilegii, & ſcrupulo communicarent, ut objicitur in quinto? Quomodo demùm tunc cum toto præcepto, & uſu Confeſſionis non laborabant Fideles eo morbo ſcrupulorum, quo nunc occaſione præcepti confitendi tam multi Fideles conflictantur, ut dicitur in ſexto? Quid ad hæc reſpondebunt, qui ea ſex argumenta proponunt tanquam invicta? Alia etiam ratione retorquetur ſecundum argumentum quod validiſſimum putatur, & petitur ex Patrum ſcriptis, in quibus ferè omnibus tam altum de Confeſſione ſilentium. Et primò eſt certum, debuiſſe ante Communionem fieri majorum ſaltem criminum Confeſſionem, & pœnitentiam. Cur id non monuit Apoſtolus, nihilque præcepit aliud quàm quod *probet ſe ipſum homo*. Cur id non monent Patres ſupra allegati Apoſtolicæ hujus admonitionis interpretes? 2. Fatetur Calvinus Confeſſionis uſum eſſe in Eccleſia antiquiſſimum, & quamvis dicat eam fuiſſe liberam, non negabit tamen eam fuiſſe frequentatam, ut frequentes fuere in eadem Eccleſia tunc optimâ, ſanctiſſimâque (ut ab ipſis hæreticis prædicatur) alia-

aliarum virtutum exercitationes. Cur ergo in Patrum ſcriptis, in quibus tam ſæpè de omni virtutum etiam liberâ exercitatione agitur, de Confeſſionis uſu tam parùm, de frequẽtia nihil? Tertiò volunt (ut infra dicam) Calvinus, aliique Hæretici, ut qui ſacræ Menſæ volunt accumbere, antea ſe Paſtori ſiſtant. Cur id non monet Paulus eo in loco, cur non monent Patres ejus loci Interpretes? Demùm fatentur omnes, Confeſſionem ſaltem liberè factam eſſe perutilem, & continere egregios virtutum actus. Cur ergo Patres non hortantur, & quidem ſæpiſſimè, ut hanc præparationem cum poſſumus, ad communionem afferamus, ut ſæpiſſimè hortantur accedere jejuniis, orationibus, eleemoſynis præparatos? Vide, uti præcipuis argumentis urgentur omnes. Nunc directè reſpondebo ſingulis.

2. Ad primùm dic, eam Socratis, & Sozomeni hiſtoriam eſſe omninò improbabilem, ſive dicatur à Nectario ſublata pœnitentia publica, ſive confeſſio ſecreta. Nam ſi dicatur primum, quomodo unus Nectarius ſine ulla cauſa potuit perantiquum illud Presbyteri Pœnitentiarii munus in Eccleſia abolere, diſciplinam Sanctiſſimorum Epiſcoporum ſtudio firmatam, extinguere, ſuaque auctoritate omnes Orientis Epiſcopos ad idem faciendum inducere?

cere ? Nullam ipſe ex ſacra eruditione, aut inſigni probitate commendationem habebat, publicam verò pœnitentiæ diſciplinam fundarant Apoſtoli, illuſtrarant, auxerantque S. Petrus Epiſcopus Alexandrinus, S. Gregorius Neocæſareæ Epiſcopus dictus Thaumaturgus, S. Athanaſius, S. Baſilius, S. Gregorius Nyſſenus, quorum Canones Pœnitentiales paulò aute conditos in gratiam publicæ pœnitentiæ totus Oriens ſumma cum veneratione ſuſceperat, quoſque ut inſignes eruditione, & ſanctitate Doctores, omnes earum regionum Eccleſiæ reverebantur. Cauſa autem abrogandi illud munus, & cum eo Pœnitentiam publicam, nulla erat, ut dicebam. Non enim deliquerat Presbyter, ſed matrona pœnitens *longiùs* in ea cum Diacono familiaritate, vel in facti confeſſione *progreſſa*, nec, ſi deliquiſſet Presbyter, muneris illud delictum fuerat, ſed hominis qui poterat ſubmoveri, & alius prudentior ſubrogari, nec publica pœnitentia Urbem ad iram commoverat, ſed ad ſummum aliquis ejus ritus, qui ſolus, eâ relictâ, poterat reſecari. Quis credat Nectarium hominem non optimum quidem, ſed nec peſſimum, imò nec malum id quod dicitur, voluiſſe facere, & efficere valuiſſe, nempè majorum ſtatuta convellere, ſanctiſſimam Diſciplinam tollere, laxare frena licentiæ, & publicorum criminum reis dare li-

beram communicandi facultatem? Quis credat tantò malo nullum ex innumeris, & Sanctiſſimis, qui tunc vivebant, Epiſcopis obſtitiſſe, nec ipſum quidem Gregorium Nyſſenum illum publicæ pœnitentiæ acerrimum aſſertorem, illum ſeveriſſimum vindicem delictorum; ſed plauſiſſe omnes, omnes à ſummo rigore ſtatim tranſcurriſſe ad ſummam laxitatem?

3 Si verò aſſeratur ſublata ab eo fuiſſe etiam confeſſio, & verè data cuique facultas accedendi ad Altare, inconſulto penitùs Confeſſario, factum redditur magis difficile, omneſque Orientis Eccleſiæ turpiùs dehoneſtantur. Jam enim dicendum erit, à Nectario omnibuſque Orientis Epiſcopis fuiſſe ſublatum Sacramentum, nempè confeſſionem, & abſolutionem, qua ſolvi peccata ex Chriſti inſtitutione, non ignorabant, & docuerant, ut in lib. de Sacerdotio docuerat Chryſoſtomus, quem etiam Nectario adhæſiſſe ferunt. Rurſus id eos doctiſſimos, & ſanctiſſimos Epiſcopos permiſiſſe dicendum erit, quod permitti nolunt Hæretici ipſi, haud quaquam approbantes, quod pro ſuæ conſcientiæ judicio quiſque ſacræ Menſæ accumbat, ſed ii ſoli quos dignos eſſe Paſtor pronunciaverit. *Confeſſio* (inquit Philippus in Confeſſione Auguſtana, articulo de Confeſſione) *apud nos non eſt abolita, non enim ſolet porrigi*

rigi corpus Domini, niſi antea exploratis, & abſolutis. Et Calvinus lib.3. Inſtit. cap.4. §.13. ſic ait. *Interim, quin ſiſtant ſe oves Paſtori, quoties ſacram cœnam participare volunt, adeò non reclamo, ut maximè velim, hoc ubique obſervari*.

4 Demùm, ſi fuit à Nectario ſublata confeſſio, reliquis Orientis Epiſcopis non ſolùm non reclamantibus, ſed approbantibus, cur paulò poſt tantò Epiſcoporum conſenſu fuit eadem confeſſio uſurpata, & præcepta? Qui factum fuit, ut omnes ſimul earundem regionum Epiſcopi ſublatum morem in ſuas Eccleſias revexerint? Nam certè ſęculo ſequenti, aut paulò poſt viguit confeſſionis uſus, & præceptum, ut patet ex Pœnitentiali Joannis Jejunatoris, quem ſupra cap.4. magna ex parte recitavi, in quo nihil eſt, unde colligas, aut tunc, aut antea controverſum fuiſſe præceptum confitendi omnia gravia peccata, aut unquam fuiſſe ſublatum, & multa ſunt, unde colligas viguiſse tunc, & antea non ſolùm ſecretam confeſsionem, ſed publicam pœnitentiam. Mirum profectò ſit, novam ſtatui diſciplinam, nihilque dici, unde ejus novitas arguatur. Mirum quoque, & valdè mirum ſit, univerſas Orientis Eccleſias jugo graviſſimo Confeſſionis, & pœnitentiæ, quod antea ex decreto ſuorum Epi-

ſcoporum excuſſerant, iterum, nullo renitente ſe ſubmiſiſſe, nec hujus facti tam admirabilis apud ullum eorum temporum ſcriptorem memoriam extare, qua nempè ex cauſa, & quomodo, & quando fuerint iterum ad confeſſionem, & pœnitentias populi compulſi. Hæc quiſquis expenderit, fateatur neceſſe eſt, aut hanc hiſtoriam eſſe confictam totam, aut ſaltem eam partem, qua ea libera permiſſio communicandi facta cuique continetur, nec à Nectario ſublatum aliud fuiſſe quàm publicam *occultorum* criminum confeſſionem, & pœnitentiam, cujus judex, & miniſter erat Preſbyter pœnitentiarius, retentamque non ſolum fuiſſe confeſſionem ſecretam, ſed etiam pœnitentiam publicam,& fortè etiam publicam confeſſionem *patentium* delictorum, quorum judex, & vindex erat Epiſcopus.

5 Quod autem attinet ad Sanctum Joannem Chryſoſtomum, qui videtur tot in locis docere non eſſe neceſſariam Confeſsionem factam Sacerdoti, videtur primò eſſe manifeſtè falſum, ut ſupra monui, ea dicta ab hoc S. Doctore fuiſſe, ut ſui Deceſſoris decretum tueretur: nam idem ſemper circa hoc docuit Chryſoſtomus, ut patet legenti, quæ ſcripſit, & populo recitavit Presbyter Antiochenus, antequam Nectario ſuccederet. Siquidem hom.41,

ad

ad eum populum dicta, cujus verba ſupra recitavi, expreſsè exigit ſolam confeſsionem cordis, non linguæ. Videtur 2. eſſe etiam falſum, quod pariter multi dicunt, nempè eum in prædictis locis docere, non eſſe neceſſariam confeſsionem publicam; nam homilia 10. in Matthæum, quam pariter habuit ad Populum Antiochenum (ut notat Anianus in Prologo ſuæ expoſitionis harum homiliarum in Matthæum) innuit, Antiochiæ exigi conſueviſſe ante communionem, ſaltem patentium criminum confeſsionem, & publicam pœnitentiam, ut publica erat ea confeſsio catechumenorum, de qua ibidem agit. Hęc ſunt S.Doctoris verba. *Tempus quidem confeſſionis æque, & baptizatis, & uon baptizatis profaniſque incumbit; illis quidem, ut poſt PATENTIUM criminum vulnera, pœnitentiâ interveniente curentur, & ad ſacra myſteria redire mereantur; his verò, ut ablutis in Baptiſmo maculis ad Dominicam menſam mundâ jam conſcientiâ accedant*. Dum ergo in prædicta homilia 41. ad populum Antiochenum dicit, *Non dico tibi, oſtenta te ipſum, nec apud alios te accuſa*, ſolùm docet non eſſe neceſſariam publicam Confeſsionem *latentium* delictorum.

6 Solùm remanet difficultas in eo quod addit ſatis eſſe confiteri ſoli Deo. Reſpondent

 aliqui,

aliqui, confeſsionem ſoli Deo factam appellari eam, quæ fit ſoli Sacerdoti, ſed non videntur pati hanc interpretationem verba S. Doctoris dicentis non eſſe neceſſarium confiteri *lingua*.

Reſpondent igitur alii meliùs, S. Doctorem in prædictis locis hortari populum ad eam confeſsionem, qua quis ſe peccatorem cognoſcit, nec diſsimulat delicta ſua, ſed ea recolit ſingillatim ad ſui humiliationem, quam confeſsionem vult fieri perpetuò. Benè autem monet ſufficere, ut hæc fiat ſoli Deo, cum non poſsimus ſemper, & aſsiduè nos accuſare coram hominibus. Id conſtabit legenti eam homiliam 41. quam allegavi in argumento, & alias ex quibus ſeligo duas. In homilia de publicano ad cap. 18. Lucæ. *Admoneo te, ut ASSIDUE confiteare, neque enim te ad theatrum duco conſervorum tuorum*. Similiter in homilia 2. ſuper Pſal. 50. *Si confunderis dicere alicui, quia peccaſti, dicito ea QUOTIDIE in anima tua*. Quibus ſanè verbis non docet neceſſariam nunquam eſſe confeſsionem oris, quę fit homini, alioquin non conſtaret ſibi alibi dicenti neceſſariam eſſe aliquando etiam confeſſionem publicam, nempè *patentium* delictorum, ſed ſolùm proponit modum confitendi perpetuum, & internum, quem amplecti facilè

poſsint

poſsint etiam ii,qui confunduntur dicere homini peccata ſua. Et quidem ſi textus Chryſoſtomi non eſſent hoc modo exponendi, in illis non ſolùm doceret S. Doctor non eſſe neceſſariam oris confeſsionem, quæ fit Sacerdoti, ſed dehortaretur ab illa, nam dicit *Cogitatione fiat delictorum exquiſitio. Solus Deus te confitentem videat*. Et alibi *Ante Deum confitere peccata tua: non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria*. Et alibi. *Intus in conſcientia adſtante nemine præter eum, qui cuncta videt, reforma quod deliquiſti*. Quæ certè, niſi exponantur, ut dicebam, ſunt verba dehortantis à confeſsione oris, quod nec Hæretici faciunt, ut ſupra oſtendi, & quamvis fieret ab Hæreticis negantibus, datam Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi à peccatis, fieri certè nequiit à D. Chryſoſtomo, qui tam fusè in libr. de Sacerdotio hanc poteſtatem extollit. Cui enim bomo hęc poteſtas collata ſit, ſi non ſit exercenda, & quomodo exercenda ſanctè, & ſapienter cum poteſtate ligandi, & retinendi, ſi qui peccavit, debet non confiteri peccata ſua? Adde quod in prædictis libris, non ſolùm commendat hanc poteſtatem, ſed præceptum confitendi inſinuat, ut legenti patebit, quod etiam facit homilia 30. in Geneſim,quam habuit in fine Quadrageſimæ. *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdo-*

madam pervenimus Dei gratia, nunc maximè & jejuniis curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura confeſſio peccatorum, quibus verbis ſic abſolutè uſurpatis certè ſignificatur confeſsio, quæ fit homini, ut abſque dubio eadem ſignificatur ab eodem, homil. 3. in Matth. dum ait. *Confeſſio peccatorum teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei peccata ſua non erubeſcit confiteri, qui autem erubeſcit non timet*. Ruborem enim commovet ſola confeſsio delicti, quæ fit homini, dumque dicit, eum qui erubeſcit confiteri peccata, & ex rubore non confitetur, non timere judicium Dei, jam innuit, hanc etiam occultorum confeſſionem eſſe prçceptam: ſi enim præcepta non eſſet, eam ex pudore omittere non eſſet argumentum animi non timentis Deum. Idem confitendi præceptum indicit ſerm. 9. in illud, *Intrate per anguſtam portam*, ubi poſtquam redarguit Auditores ſuos, quod ad ſpectacula redirent ſemper, eâque ipſa die, qua in Tempo Divina Myſteria participaverant, quamvis eſſent millies moniti, ne id facerent, ſic dicit. *Verumtamen quoniam lapſis manus eſt porrigenda, atque erga illos, qui tam negligentes fuerunt, paterna exhibenda eſt benevolentia, ne ſic quidem de eorum ſalute deſpere-*

ſperemus, dummodò non amplius in eadem velint recidere, ſed hucuſque tantùm negligentiæ ſuæ indulgere, ſibique ipſis aditu Circenſium, & omnis hujuſmodi ſatanici ſpectaculi interdicant. Benignum enim clementem, ac providum habemus Dominum, qui cum naturæ noſtræ noverit imbecillitatem, ubi negligentiâ ſupplantati in peccatum aliquod lapſi fuerimus, unum id ſolùm à nobis REQUIRIT, ut ne deſperemus, ſed à peccato reſiliamus, & ad CONFESSIONEM properemus, nempè ad exomologeſim, ut habet textus Græcus, & gemuimus, quo nomine certè ſignificatur confeſſio facta homini, ſeu curatio pœnitentis, & expiatio delicti per rei confeſſionem, & ſatisfactionem, ut conſtat ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque. Peccatum verò, cujus confeſſionem hìc poſtulat Chryſoſtomus, non erat ex illis, quæ erant publicâ confeſſione, & pœnitentiâ expianda; erat enim valdè commune, & ferè totius populi, & à multis, ut ipſe alibi dicit, nec loco delicti habitum. Non igitur hìc exigit confeſsionem peculiarem delicti canonici, peculiariter expiandi, ſed eam qua omnia gravia delicta erant Eccleſiæ clavibus ſubjicienda. Igitur, ne dicamus tantùm Eccleſiæ Doctorem pugnantia docuiſſe, omnemque prorsùs confeſsionem, quæ Paſtori fiat, repudiaſſe

diaſſe (quam nec Hæretici Lutherani, & Calviniſtæ penitùs rejicere auſi fuerunt) eo quo dicebam modo, vel ſimili prædictos Sancti hujus Antiſtitis textus interpretari debemus. Tandem ſi ineluctabilia ſint quæ ſuadent, à Nectario, Chryſoſtomo, totâque Eccleſia Græcâ ſublatam fuiſſe omnem culparum confeſsionem, quid illa evincent aliud, quàm erraſſe per aliquot annos Eccleſiam Græcam, quod utique potius credendum eſt, quam erraſſe per tot ſæcula Eccleſiam univerſam Latinam,& Gręcam,quę antè & poſt Nectarium,& Chryſoſtomum confeſsionem omnium peccatorum tanquam omninò præceptam uſurpavit, & uſurpat.

CAPUT VI.

Reliquis argumentis eo cap. 3. propoſitis reſpondetur.

1 SEcundum argumentum petitum ex eo quod Patres priorum quinque, aut etiam ſex ſæculorum tam jejunè tamque obſcurè de confeſsione omnium peccatorum, ejuſque præcepto agunt, magnam vim præſefert, ſed verè non habet, nam (præter ea quæ dixi cap. 5. num. 2. hoc argumentum retorquens)

quens) certè ſęculo ſeptimo, & ſequentibus eadem fuit in Eccleſia circa confeſsionem, ejuſque præceptum, & frequentiam diſciplina, & praxis, quæ modo viget, ut evidentibus documentis oſtendi ſub finem cap. 2. & tamen magnum quoque in eorum temporum ſcriptoribus de confeſsione ſilentium eſt, aut tractatio tam jejuna, ut congeſta ſimul omnia, quæ ſparſim in illis leguntur, vix impleant paucas pagellas, minuſque ſit quod ab omnibus ſimul collectis dicitur, quàm quod reperitur in ſingulis ex innumeris Scriptoribus, qui à ſæculo tertiodecimo de confeſſione tractarunt. Non igitur ex eo quod Patres eorum priorum temporum tam parùm de confeſſione omnium delictorum, ejuſque peragendæ neceſſitate agant, colligi poteſt, aut uſurpatam eam confeſſionem non eſſe, aut ſaltem ignoratum ejus uſurpandæ præceptum. Non eſt autem hujus loci quærere, cur Patres hac de re tam parùm ſcripſerint, quandò hujus rei cauſa ea non eſt, quæ in argumento affertur.

2 Tertium argumentum petitum ex miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ videtur invictum, ſi verè penès ſolùm Epiſcopum fuere tunc claves Eccleſiæ. Sed quamvis is ſolus initio, cùm pauci Fideles erant, fuerit hujus fori judex, creſcente poſtea numero Fidelium fuerunt etiam

etiam alii Sacerdotes. Certè tempore Divi Cypriani non ſolus Epiſcopus, ſed etiam inferiores Sacerdotes reconciliabant eos, qui lapſi erant in perſecutione, nec id improbat S. Antiſtes, ſed quòd nimis citò eos abſolverent. Quin longè ante Cyprianum id jus obtinuerant: nam Evariſtus, qui ſædere cæpit ann. 110. aut juxta Papebrochium anno 95. ſaltem ſecretò Pœnitentium judicium Presbyteris concedi voluit eo decreto quod refertur à Burchardo lib. 18. cap. 13. ab Jvone part. 15. cap. 2. & à Gratiano 26. quæſt. 6. *Presbyteri de occultis peccatis juſſione Epiſcopi pœnitentes reconcilient*. Igitur quos ad Epiſcopos mittit S. Auguſtinus ii ſunt, qui publicè, & cum ſcandalo peccarant contra Decalogum, vel dubitare poterant, aut debebant, ne tali modo peccaſſent. Jam enim adeundus erat Epiſcopus in Eccleſia Sancti Auguſtini, in qua non erat Presbyter Penitentiarius, qui in dubiis caſibus conſuli poſſet.

3. Quartum argumentum petitum ex eo quod frequentiſſimus fuit olim uſus Sacramenti Euchariſtię, ſolvitur negando hunc uſum fuiſſe adeò frequentem. Et 1. falſum eſt, quod ait ibi Belethus, in primitiva Eccleſia præceptam fuiſſe quotidianam communionem: tres enim in hebdomada dies ad id ſtatutos ab Apoſtolis fuiſſe dicit Epiphanius in expoſitione Fidei Catholi-

tholicæ, *Sacri porrò conventus*, *& ſynaxes ab Apoſtolis inſtituti ſunt his potiſſimum diebus, quarta, ſextaque feria, & Dominica.* Imò nec his diebus communicabant omnes, ſed ſoli Clerici, præſertim Ordine ſacro inſigniti, ſi oblationem cum aliis feciſſent, nec eſſent legitimè impediti: ſic enim ſtatuitur Canone Apoſtolorum octavo. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicunque ex Sacerdolali conſortio, oblatione facta, non communicaverit, cauſam dicito. Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minùs dixerit: à communione excluditor, tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit, mota contra eum ſuſpicione, qui obtulit.* Nec Canone ſequenti jubentur, qui Eccleſiam intrant, audiuntque ſcripturas, communicare omnes, ſed omnes manere in Eccleſia, donec abſolvatur ſacrificium, & communio fiat. Is enim eſt Canon *Quicunque Fideles Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque apud preces, & ſanctam Communionem permanent, eos tanquam, qui Ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, à Communione arceri oportet.* Solebant enim poſt Scripturas egredi ab Eccleſia Catechumeni, quique erant in ſecundo gradu pœnitentiæ, non autem reliqui Fideles, iſque erat ordo conſuetudine, & lege firmatus,

ut

ut Catechumeni, & Pœnitentes à reliquis diſcriminarentur, quem Ordinem, quia prædicti Fideles eo tempore egredientes turbabant, manere uſque ad finem Divinorum Officiorum jubentur, & non manentes, excommunicatione digni declarantur.

4 Putarunt quidem multi, inter quos Petrus Bleſenſis ab Arguente allegatus, ſtatuiſſe Anacletum Papam, ut omnes, qui ſaltem ſacrificio intererant, in fine communi carent; nam in ejus vita quam habet Ordo Officii Romani ſic legitur, *Decrevit, ut in Miſſa, peractâ conſecratione, omnes communicarent*. Sed in eo decreto de ſolis Sacerdotibus agitur, jubenturque non omittere communionem poſt conſecrationem, ut quidam faciebant: nec id aſſero divinando, aut motus levi conjectura, ſed verbis ipſis prædicti decreti Pontificii, quod affertur integrum à Burchardo lib. 3. cap. 77. ultima enim verba decreti hæc ſunt. *Et ſi hoc neglexerint, degradentur*. Non igitur ibi ſermo eſt de Laicis, qui non degradantur, ſed de Sacerdotibus, qui, ut dicebam, utque innuitur in Canone 8. Apoſtolorum, quem paulò ante allegavi, Sacramentum quod confecerant, non ſumebant ipſi, ſed Fidelibus circumſtantibus præbebant. Quod etiam poſtea à ſacrilegis, aut indoctis quibuſdam Sacerdotibus factum

fuit,

fuit, & ſimiliter vetitum à tribus Conciliis Aurelianenſi, Toletano, & Rotomagenſi, quorum primum ſic apud eundem Burchardum lib. 3. cap. 78. & 79. & apud Jvonem part. 2. cap. 130. *Auditum eſt, aliquos Presbyteros Miſſam celebrare, & non communicare omninò, quod in Canonibus Apoſtolorum interdictum eſſe legitur &c.* nempè Canone 8. prædicto, quem recitat, & confirmat. Concilium verò Toletanum 12. apud Jvonem ibidem ſic ſtatuit. *Quicunque Sacerdotum deinceps Divino Altario ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, qua ſe indecenter privarit, gratia Communionis anno uno repulſum ſe noverit.* Demùm Concilium Rotomagenſe apud dictum Burchardum cap. 76. *Dictum eſt nobis quod quidam Presbyteri, celebrata Miſſa, detrectantes ipſi ſumere Divina Myſteria, quæ conſecrarunt, Calicem Domini mulierculis, quæ ad Miſſas offerunt, tradant, vel quibuſdam Laicis, qui dijudicare Corpus Domini neſciunt, ideſt diſcernere inter cibum ſpiritualem, atque carnalem, quod quantum ſit omni Eccleſiaſticæ Religioni contrarium pietas Fidelium novit. Unde omnibus Presbyteris interdicimus, ut nullus in poſterum hoc facere præſumat, ſed ipſe cum reverentia ſumat, & Diacono, aut Subdiaco-*

no,

no, *qui miniſtri ſunt Altaris*, *colligenda tradat*. Hos autem Canones ſimul allegarunt cum decreto Anacleti Burchardus, & Jvo, ut magis conſtaret, eo Canone Anacleti non præcipi omnibus quotidianam Communionem, ſed ſolis Presbyteris; imò nec ipſis abſolutè, ſed, ſi ſacrificium offerre voluerint.

4 Similiter quod dicitur, in quibuſdam Eccleſiis conſueviſſe Dominicis quibuſque diebus celebrari communionem, aut etiam quotidiè, debet ita intelligi, ut, aut Clerici id facerent, aut aliqui etiam laici: id enim ſatis eſt, ut dicatur, his diebus, aut quotidiè, communionem fieri conſueviſſe. Certè in Romana Eccleſia tam raró communicabant multi, ut opus fuerit eo decreto Fabiani, *Saltem in anno ter laici homines communicent* (*niſi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur*) *in Paſcha videlicet*, *& Pentecoſte*, *& Natali Domini*. Fabianus autem ſedebat ann. 236. Non puto autem, ſæculo ſequenti majorem fuiſſe populi Romani pietatem, aut ita majorem, ut omnes quotidiè communicarent. Quod ergo S. Hieronymus ſcribit de quotidiana Romanorum communione debet intelligi ut dixi ſupra, vel ut dicam poſtea. Ex genuinis verò D. Ambroſii ſcriptis nemo colliget, id moris in ejus Eccleſia fuiſſe, ut tam frequenter Populus de

Alta-

Altaris Sacramento participaret, ut neque id factum in Eccleſia Africana, unquam dicit S. Auguſtinus. Sanctus verò Chryſoſtomus contrariam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem quâ teſtatur, quâ innuit, quâ redarguit. Eam redarguit homil. 3. in epiſt. ad Epheſ. *Fruſtra habetur quotidiana oblatio, fruſtra ſtamus ad Altare, NEMO eſt qui ſimul participet.* Innuit verò ſolùm bis in anno communicaſſe multos aut etiam pleroſque eadem homilia 3. in cap. 1. epiſt. ad Epheſ. *Multos video,* inquit, *qui corpus Chriſti accipiunt temerè, & perfunctoriè, idque eò potius, quòd in uſum ac legem quandam videatur abiiſſe, quàm quòd judicio ac ratione ducantur. Si Quadrageſimæ tempus inſtet, aut Epiphaniæ celebritas, qualeſcunque tandem illi fuerint, Sacramentorum participes fieri volunt. At certè temporis ratio tempeſtivum ad ea acceſſum non facit. Neque enim Quadrageſimæ, neque Epiphaniæ dies nobis conferunt, ut dignè accedamus, ſed animæ integritas, atque innocentia. Hæc ſi adſit, ſemper accedito, ſi abſit, nunquam.* Quin multos ſemel tantùm in anno, & aliquos rariùs acceſsiſſe teſtatur homil. 17. in epiſt. ad Hebręos. *Multi* (inquit) *ſemel in anno ſacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii ſæpius. Ad hos ergo omnes meą convertitur oratio. Nec ſolùm ad eos qui hìc adſtant, ſed ad*

eos etiam qui in eremo degunt, quippe qui ſemel tantùm in anno, plerumque etiam poſt duos annos ſacra Communione impartiuntur. Quos igitur potiſſimùm laudabimus? An qui ſemel? an qui frequentiùs? an qui rariùs communionem adeunt? Neque hos, neque illos, ſed eos demum qui cum puræ mentis conſcientia, qui mundo corde, ac vita integra, atque inculpata Chriſti corpore reficiuntur. Tales ſemper accedant, cæteri nec ſemel accedant.

5 Dum ergo aliis in locis frequenter Fideles Divinia Myſteria vel Altaris Sacramentum, vel Oblationem participaſſe innuit S. Jo: Chryſoſtomus, aliique priorum ſex ſæculorum Scriptores, non innuunt, omnes, ſed aliquos frequenter, aut etiam quotidie communicaſſe, vel omnes quidem participaſſe, ſed aliquibus diſtributum fuiſſe verum Euchariſtiæ ſacramentum, aliis verò panem benedictum, cujus particulas Eulogias vocabant veteres, & aliquando etiam Sacramentum, iiſque eas impertiebant qui Euchariſtiæ ſacramentum non ſumpſerant vel quia eſſent imparati, vel quia non eſſent capaces, ut Catechumeni. His diſtribui has Eulogias conſueviſſe teſtatur S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 26. *Et quod accipiunt Catechumeni, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quàm cibi,*

cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt. Illis verò qui indigni eſſent Euchariſtiæ ſacramento, aut non ſatis parati, id genus communionis conceſſum fuiſſe, aut etiam concedi debuiſſe diſertè docet Pius Papa primus, cujus eſt is Canon, *Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & de conſecrationibus, quæ ſuperſunt, necnon de panibus, quos deferunt Fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, & convenienti, ut poſt Miſſarum ſolemnia qui communicare non fuerunt parati, Eulogias, hoc eſt panem benedictum omni die Dominico, & diebus feſtis exindè accipiant, quæ cum benedictione priùs faciat.* Qui mos etiam nunc obſervatur Romæ à Greci Collegii Alumnis poſt celebratum Greco ritu ſacrificium. Tam diuturnus in tota Eccleſia Latina non fuit (in tota inquam, nam etiam modò viget in Gallicana) diuturnus tamen fuit, nam ſæculo nono Leo Papa quartus in epiſtola Encyclica ad omnes ubique Sacerdotes inter cætera mandat, *Eulogias poſt Miſſas in diebus feſtis plebi diſtribuite.* Ut autem hæ dicebantur Sacramentum, hac voce latiùs acceptâ, ſic dicebantur ſacrificium, nempè oblatio, earumque participatio dicebatur communio, ut colligitur ex ea D. Cypriani quærela de opere, & eleemoſynis, *Locuples*

 & di-

& dives es, & Dominicum celebrare te credis qui corbonam omnino non reſpicis, qui in Dominicum ſine SACRIFICIO venis, qui & partem de SACRIFICIO, quod pauper obtulit, ſumis, & ex eo S. Auguſtini edicto in ſerm. 215. de temp. *Oblationes, quæ in Altari conſecrentur offerte; erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicat*. Ex his conſtat, id genus communionis fuiſſe frequens, non autem illud ſacramenti Euchariſtiæ, cui innititur quartum argumentum, quod, everſo fundamento, penitùs corruit.

6 Quintum quoque argumentum fundamento caret. Eſt enim falſum, non fuiſſe uſos remedio confeſſionis eos qui ſola venialia peccata commiſerant. Nam qui in perſecutione Decii lapſi non erant, ſed videbantur ſibi non obſtitiſſe penitùs impiorum ſuaſionibus, omnemque pravam cogitationem illico rejeciſſe, ſolam venialem culpam, ut par eſt credere, commiſerant, adhuc tamen id culpæ, qualecunque erat, Confeſſariis prodebant, ut teſtatur S. Cyprianus ſerm. 5. de lapſis, ubi hoc exemplo pudorem incutit illis, qui de lapſibus manifeſtis pœnitentiam agere recuſabant. *Quanto & fide majore, & timore meliore ſunt qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt,*

hoc

hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentur, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam PARVIS licet & modicis vulneribus exquirunt. Verum quidem eſt, ab S. Auguſtino ſæpè proponi alia remedia, quibus hæc parva vulnera curentur, at proponitur aliquando, & quidem primo loco, hoc, de quo agimus, confeſſionis remedium, ut facit ſerm. 31. de verbis Apoſtoli agens de venialium culparum curatione, *Confeſſio* (inquit) *nos ſanat, & vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lachrymæ non fictæ de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, confeſſio, inquam, nos ſanat, dicente Apoſtolo Joanne, ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Et quidem hoc in loco S. Apoſtolus agit etiam de peccatis venialibus, nam ſubdit, *ſi dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum &c.* Quibus verbis occupat excuſationem eorum, qui aſſerebant, ſe non peccaſſe, dicitque peccare omnes ſaltem leviter, omneſque eſſe hujus remedii capaces. Hinc initio Eccleſiæ cœpiſſe fideles juſtos & ſanctos confiteri Apoſtolis leves culpas ſuas, credendum eſt. Non enim ignorabant, eis traditam poteſtatem remittendi culpas om-

nes graves leveſque, optabant quoque pro ſtudio interni candoris, ab utriſque mundari. Cur ergo credamus confeſſionis remedium quo certiſſimè mundarentur, ab eis fuiſſe neglectum? Non negat Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 7. *Confeſſionis uſum eſſe vetuſtiſſimum*, & quamvis eam liberè factam eſſe dicat, factam tamen & fieri utiliter & ſanctè non negat, nec negare ullus poteſt, continet enim actus multarum virtutum, & præſertim pœnitentiæ, religionis, & humilitatis. Cur ergo negabimus, eam uſurpatam à ſanctis viris, qui quæ utiliter virtuosè, ſanctèque fiunt, ſectabantur omnia? Non abnuo quidem hanc venialium tantùm culparum confeſſionem fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis minùs frequentem, cùm confeſſarii, qui pauci erant, vix poſſent neceſſarias maximè indigentium confeſſiones excipere, nec vellent Ethnicis qui tunc multi erant, & cum Chriſtianis permixti, præbere anſam obloquendi de ſacris miniſtris tota die ſcrutantibus (ut ipſi dixiſſent) arcana domorum, & animorum, & devotarum mulierum ſecreta colloquia frequentantibus; At factam quandoque hujuſmodi levium tantùm culparum confeſſionem fuiſſe, nullus ſapiens, nec, ut arbitror, ullus vir catholicus neget.

7 *Cler.* Sed (inquiunt) D. Auguſtinus nun-

quam

quam fuit uſus remedio confeſſionis, nunquam S. Hieronimus, nunquam S. Ambroſius, & quidem nec in morte. Quia videlicet ſolis maculabantur levibus culpis, quas aliis remediis eluebant. Non igitur uſurpari confeſſio conſuevit ab iis qui culpis gravibus carebant.

Auct. Ego verò nego & pernego quod aſſeris de D. Auguſtino, aliiſque quorum meminiſti, & rurſus malè colligis, non factum ab aliis fidelibus fuiſſe quod dicis ab Auguſtino, aliiſque hujuſmodi doctis, & ſanctis viris non eſſe factum. Nam hi pro ſua ſanctitate ſolas culpas leviſſimas committebant, quæ facilè à quopiam, nedùm à viris doctis, qui erant ipſi, dignoſcebantur, & à gravibus culpis diſtinguebantur. At reliqui fideles nec ita ſancti, nec ita docti eas culpas committebant, de quibus non ita facilè poterant certum ferrè judicium. Sed iterum nego quod dicebas, nempè eos ſanctos viros nunquam fuiſſe confeſſos.

Cler. Confeſſos eos fuiſſe nullus prodit Hiſtoricus, non igitur id fecere unquam.

Reſp. Negari poſſe antecedens, ſed eo diſſimulato, neg. conſ. Poſſidius in vita Auguſtini ſatis fusè, & diligenter deſcriptâ, nunquam refert, eum Miſſæ ſacrificium celebraſſe. Nec id de aliis multis ſanctis Presbyteris, Epiſcopiſque referunt qui eorum geſta ſcripſere.

An indè colliges, eos nunquam rem divinam feciſſe? Rurſus non produnt hiſtoriæ confeſſos in vita aut ſaltem in morte fuiſſe tot viros ſanctiſſimos qui ſæculo ſeptimo, & aliquot ſequentibus floruere. Nec tamen rectè colliges, inuſitatam tunc fuiſſe confeſſionem. Siquidem ſæculo ſaltem octavo aliqui, ut oſtendi cap. 2. confitebantur quotidie, & Monachi omnes octavo quoque die, quod probabiliter fecerant etiam antea. Qui autem tam ſæpè confitebantur, aut ſemper, aut ſaltem plerumque ſola venialia confitebantur. Id igitur argumenti vim nullam habet, aut eam habet contra veritatem evidentiſſimè teſtatam, quod dici non poteſt.

8 Si verò quis ſciſcitetur, cur id ſilvere, qui ſanctorum virorum vitam & mortem deſcripſere, reſpondeat ipſe prius, cur ex innumeris quæ dixit & fecit Chriſtus Dominus, tam pauca literis mandarint Evangeliſtæ? Reſpondeat etiam interroganti, cur ex iis, quæ literis tradidere, aliqua ſunt ita obſcura? Et hujuſmodi fortè eſt id de quo agimus contentum quidem in ſcriptoribus, ſed ſub aliis vocibus tunc ad confeſſionem ſignificandam aut innuendam, non autem modò, uſurpatis. Et quidem tunc id ſignificabatur aut innuebatur his vocibus *impoſitio manuum*, *pax conceſſa pœni-*

ten-

tentibus, *actio pœnitentiæ*, *viaticum*, & fortè aliis, quæ modò ad id ſignificandum adhiberi non ſolent. Fortè hujus rei non meminere, quia nihil circa hoc accidit narratu dignum, ut qui modò vitas Sanctorum deſcribunt, de ſuſcepto ab eis Confirmationis ſacramento, quamvis ſuſcipiatur ab omnibus, nihil ſolent ſcribere, ex hac ipſa cauſa,quia ſuſcipitur ab omnibus, & nihil, dum ſuſcipitur, ſolet evenire dignum memoratu. Contra, quia dum hoc ſacramentum initio Eccleſiæ recèns baptizatis ab Apoſtolis miniſtrabatur, viſibili oſtento Spiritus Sanctus ſe ſe Neophytis infundebat, non omiſit Lucas referre, uti iis qui ſancto Lavacro tingebantur, id etiam ſacramentum ab Apoſtolis manus imponentibus miniſtrabatùr. Demum veterum ſcriptorum prima cura ea fuit, ut breviſsimè ſcriberent, ne videlicet ingens eſſet aut excribentis labor aut legentis; recentiorum verò ſcriptorum cura potiſſima ea videtùr eſſe, ut multa ſcribant: hinc veterum ingentium virorum vitas una ſæpè pagella continet, recentium verò facta vix ingens tomus capit. Quare mirum non ſit, quod de multis, de quibus modò ſcribunt omnes fuſiſsimè, nihil ſcriptum fuerit ab antiquis.

9. Hinc reſpondetur ultimo argumento, quod pariter petitur ex eo quod veterum ſcri-

pta

pta nihil continent, undè colligatur laboraſſe tunc pios Fideles eo morbo, quem dicimus ſcrupulorum. Fortè id ex illis multis eſt, quæ omittenda eſſe cenſuerunt: nec immeritò. Hunc enim morbum contemptus ſanat. Præſentiſſimum quoque eſt hujus morbi medicamentum dirigentis prudentia, & ægri obedientia, de quo utroque multa Patres omnium temporum ſcribunt. Certè hujus morbi cauſa non eſt indictum populis confitendi omnia gravia peccata præceptum. Id enim indictum ſaltem ſexto, & ſeptimo ſæculo Fidelibus erat, ut indubitatis exemplis, ac teſtimoniis oſtendi cap.7. nec tamen qui poſtea per plura ſæcula ſcripſerunt, quidquam continent, undè quis colligat, conflictatos hoc morbo pios Fideles fuiſſe.

Addo, non earum tantùm dubitationum ſcrupulis angi modò permultos, quæ circa confeſsionem peccatorum factam aut faciendam verſantur, ſed aliis multis. Hinc multi in recitandis horis canonicis, alii in his, & in recitanda forma, qua conficitur Altaris Sacramentum, & Miſſæ ſacrificium, ſic torquentur, ſemperque dubitant, an intendant animo quod eſt intendendum, an quid omiſerint, an omnia diſtinctè pronunciaverint, aut pronuncient: nec tamen novum eſt onus recitandi preces aliquas, & conficiendi Miſſæ ſacrificium. Habet igitur

is

is morbus aliam originem. Nimirum, ut corporum, ſic animorum morbi latentes habent cauſas, eaſque quamvis ſemper eaſdem, uno tamen tempore otioſas non alio. Hinc quamvis eadem modò ſit humani corporis ſtructura, eædem cauſæ coagmentantes, & conſervantes, aliquo tamen morbo, puta, elephantiaco, paſſim fuere correpti olim qui has eaſdem noſtras regiones incoluere, in quibus tot extra Urbes erectæ fuere domus huic morbò curando, quo vix ullus modò laborat, & aliquis modò morbus aut communis eſt, ut fortè puſtulæ ſunt, dictæ variolæ, aut multorum eſt, ut morbus quem vocant luem Veneream, qui fuit antiquis ignotus. Quod in corporibus contingit, accidit etiam in animis, immo magis in animis, cujus morbi pendent ex cauſis liberis, & voluntariis internis externiſque, & præſertim ex malis Angelis qui quamvis iidem ſint, nos tamen nunc uno modò commovent, & perturbant, nunc alio, pioſque homines nunc agitant hoc interno conflictu, injectiſque ſcrupulis non permittunt in via ſalutis progredi, quos olim ab eadem via aliis artibus avocabant.

10 Ego verò eam fuiſſe hujus morbi novam cauſam, ſeu potiùs occaſionem puto, quòd ab aliquot ſæculis, ut in reliquis omnibus artibus, ſic, immo potiſſimùm circa mores, de

præ-

præceptorum videlicet obligationibus, cęptum eſt diſputari, & ſcribi diſtinctiſſimè, & quæſtiones agitari, nunquam antea agitatas. Id quidem factum eſt, ut infra dicam, & oſtendam, cum ingenti Reip. literariæ, & utriuſque fori interni, externique utilitate, ſed, ut ſolet ſemper accidere, cum damno aliquorum, qui vitio ſuo ad timendum, & dubitandum propenſi has quæſtiones legentes aut audientes ad alias inutiles & nimiùm ſubtiles quæſtiones, dubitationeſque, quibus nunquam aut perdifficilè extricate ſe poſſunt, conjecere ſe: hinc timores perpetui non diſtinguentium onera tam ſubtilia præceptorum, & ubique aut vincula ſuſpicantium, aut vinculorum contemptum; ſuæque animæ exitium. Hæc, ut reor, eſt vera cauſa, propter quas is morbus, qui olim paucorum erat, & ideò contemnebatur, modò multorum eſt, & quia multorum eſt, effecit ut myſticæ vitæ Magiſtri ſciberent aliquos de eo curando tractatus.

CA-

CAPUT VII.

Quibuſdam monitis tradita doctrina, & argumentorum ſolutio explicatur magis & confirmatur.

1 HIS quæ duobus præcedentibus capitibus dicta ſunt, ſatis (ut arbitror) ſolvuntur ea ſex Argumenta cap.3. propoſita. Ut autem libentiùs amplectaris traditam doctrinam, moneo 1. non cogi te aſſerere, omnes omninò Patres, omnes veteris Eccleſiæ Doctores in eandem circa confeſſionem ejuſque præceptum conſenſiſſe doctrinam. Quamvis enim univerſa Eccleſia id præceptum ſemper intellexiſſe dicatur, non ſequitur, id intellexiſſe *omnes* Eccleſiæ Doctores, & multò minùs ſequitur, id intellexiſſe *omnes* tanquam certam fidei doctrinam, ac proindè populo proponendam ut talem; cum pręſertim nullo concilio id eſſet eo tempore definitum. Conſtat enim, multa eſſe nunc authoritate Conciliorum, & Pontificum declarata, quæ nec intellecta olim ab omnibus Eccleſiæ Doctoribus fuerunt, nec populis tanquam doctrina Fidei ſignificata.

2 Moneo ſecundò, idem præceptum ſubeſſe variis interpretationibus. Modò fatentur Catholici omnes Doctores, pręceptam cuique

eſſe

eſſe omnium gravium peccatorum confeſſionem, adhuc tamen, ut alibi monui, aliquando quis eo præcepto non adſtringitur, ut cùm non poteſt confiteri, niſi cum certò ſuæ animæ periculo, vel alieno damno graviſſimo. Hos caſus, & veluti legis exceptiones alii plures admittunt, alii pauciores. Fortè olim ab aliquibus plures admiſſæ fuere, nec tam arctati in aliquibus Eccleſiis Fideles.

3 Moneo tertiò, diſciplinas omnes fuiſſe olim, ut pariter paulò antè dicebam, traditas minùs ſtudioſè, minùs diſtinctè, ac proindè paucis pręceptis, iiſque parùm explicatis; poſtea verò, aut excitatis per ipſa diſciplinarum initia hominum ingeniis, aut ſententiarum diverſitate, ipſiſque aliquorum erroribus acuentibus humanam induſtriam, Deoque novum lumen ſuppeditante, quæ fuerant olim ſimul tradita, fuerunt diſtincta, quęque erant obſcura, fuerunt explicata. Quod omnibus humanis diſciplinis contigit, contigit etiam doctrinæ Theologicæ, morumque, non illis ſolùm de cauſis, quas modò recenſebam, ſed Deo ſic diſponente, ne novam doctrinam copia ipſa, & prolixitas faceret difficiliorem, utque in dubiis, & quęſtionibus, quæ naſcerentur in dies, recurrent Fideles ad Paſtores ſuos, Doctoreſque, hique, ſi per ſe reſpondere non poſſent,

ſent, aut recurrerent ad Paſtorem ſupremum, aut Concilia congregarent, & per hoc inferiores ſubjicerentur ſuperioribus, ſuperiores inferioribus providerent, debitoque nexu virtutum obedientiæ, & providentiæ partes novæ Reipublicæ jungerentur. Hinc totam Fidei inſtitutionem ſpeculativam brevi ſymbolo complexi fuere Apoſtoli, practicam verò pauciſſimis præceptis. Si accidat ut peccetis, inquit S. Jacobus, *confitemini alterutrum peccata veſtra*, nempè homo homini, & non ſoli Deo. Id tunc ſatis fuit, ut intelligerent Fideles præceptum confitendi omnia peccata, nam dixit *peccata veſtra*, quibus vocibus ſignificantur omnia gravia, idque verè intellexerunt multi Fideles, donec errantibus aliquibus, ac putantibus ſatis eſſe confiteri laico aut de hoc dubitantibus addiderunt Patres, explicando prędictum præceptum, hanc confeſſionem eſſe faciendam Sacerdoti, cui ſoli tradita eſt ſolvendi poteſtas. Id ferè omnes Patres docuere explicantes ea Chriſti Domini verba *quorum remiſeritis peccata &c.* eaque ejuſdem Chriſti in ſuſcitatione Laxari: *ſolvite eum, & ſinite abire*. Id pariter tunc ſatis fuit, donec pariter errantibus aliquibus ac docentibus, ſatis eſſe confiteri utcunque ſua peccata, vel quæſtionem hac ſuper re moventibus, docuerunt requiri veram

pœni-

pœnitentiam & dolorem, integram confeſſionem, & ſatisfactionem, quod potiſſimùm & magis diſtinctè præſtitit S. Gregorius in 1. Reg. lib. 6. cap. 2. *Tria* (inquit) *in unoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente, videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati.* Et paulò ante loquens de prædæ primitiis, quas populus dicitur immolaſſe Deo, ait, *Primitiæ cæſorum quid ſunt, niſi delectationes peccaminum? Has quidem offerre dicitur, qui coram Deo Sacerdotibus confitetur &c. Boves autem non ſolùm, ſed & oves ad immolandum ſervantur, ut qui circa ſalutem ſuam ſunt ſoliciti, ſic delere pœnitendo magna ſtudeant, ut minora plangere non omittant.* Quod clarius lib. 5. cap. ult. docuerat. *Electi viri, quando ſe de minimis accuſant* (en confeſſio venialium) *ea utique non quaſi parva, ſed quaſi magna pronunciant ... peccata ſua deſerunt, & tamen hæc quaſi non deſerta pertimeſcunt. Et quidem puris confeſſionibus, & auſteris pœnitentiæ cruciantibus delent, ſed quaſi non deleta vehementer timent &c. Peccatum in confeſſione prodendum eſt, ſed augmentandum mendacio non eſt. Tale quidem debet eſſe in confeſſione, quale fuit in opere.* Et in expoſitione ſecundi pſalmi pœnitentialis ſuper illud, delictum meum cognitum tibi feci. *Ille delictum cognitum facit, qui non ſolum quod*

facit

facit annunciat, ſed etiam omnem peccati cauſam, & originem narrat. Qui non ſuperficie tenus peccatum loquitur, ſed & quandò & ubi, & quomodo, & ſi vel ignorantia, vel caſu, vel ſtudio deliquerit, confitetur (hinc libri pœnitentiales qui diligentiùs ſcribi hoc tempore cæperunt de his circumſtantiis quæ aliquando ſunt ſcitu neceſſariæ, pœnitentem interrogant) & ſuper illud, Injuſtitiam meam non abſcondi, *Nullum*, inquit, *in corde meo doloſitatis ſcrupulum retinui*. Vide, uti etiam tunc pii Fideles dubia peccata, ſeu ſuſpiciones peccatorum quæ Confeſſario prodenda eſſent, ſcrupulos vocabant, & hinc fortè nos didicimus iſta dubia, ſuſpiciones, timoreſque ſcrupulos appellare. Hæc docere tunc abque dubio ſatis fuit, donec multis de iſta confeſſione nihil ſollicitis, eamque omittentibus, neceſsè fuit eam à populo rigidiùs exigere tempore Quadrageſimæ, ejuſque præceptum magis indicere, ut poſtea ſæpius factum fuit, conſtatque ex libris pœnitentialibus ſeptimi ſæculi, aliiſque quæ ſupra recitavi. Et quia diœceſana, aut provincialia iſthæc decreta non ſatis multorom ſocordiam excitabant, additum eſt celebre decretum œcumenici Concilii Lateranenſis quarti ab Innocentio tertio toti Chriſtiano Orbi anno 1215. indictum.

4 Explicata jam tota confeſſionis doctrina, ejuſque præcepto populis ſignificato tam clarè, ut nemo auderet obſiſtere, aut de eo dubitare, & accedente Mendicantium Ordinum qui tunc exorti fuere, adhortatione, & operâ, cœpit confeſſio fieri frequenter, & multò diligentiùs, quam antea. Hinc (ut evenit in gente culta) cœpit pœnitens de multis dubitare, de quibus non dubitabat antea, & de multis interrogare Confeſſarium, quæ cùm non poſſent facilè à quopiam expediri, expedienda, explicandaque fuere ſummis Caſuiſtarum, aliiſque libris, dirigendis Pœnitentibus & Confeſſariis, evulgatis.

5 Is fuit doctrinæ pertinentis ad confeſſionem progreſſus, quem ſi benè expendas, facilè intelliges, alium eſſe non debuiſſe, ſic ferente natura rerum, & ſuaviſſimâ Dei providentiâ, quæ graviora novæ lgis præcepta noluit ſtatim accedentibus ad fidem cum quodam ſtrepitu obtrudi, ſed rem ipſam præceptam ſpontè conſenſuris ſuaderi, poſtea verò repugnantibus præceptum ipſum oſtendi, tandem contumacibus pœnam intentari. Quod ipſum factum fuit in lege matrimonii, cujus vinculum nec legitimo divortio intercedente ſolvendum ſic propoſuit Chriſtus Dominus, ut intellexerit quidem ſemper Eccleſia, non tamen ſemper ita declararit,

rarit, ut intellexerint omnes. Hinc ejus ignorationem venialem appellavit S. Auguſtinus de fide & operibus cap. 19. Loquens enim de eo qui uxorem in adulterio deprehendit, ſic ait. *In ipſis divinis ſcripturis ita obſcurum eſt, utrum iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur*, quo modo jam nemo fallitur, poſtquam rem non ita cuique claram Eccleſia penitus declaravit.

6 Moneo quartò, veteris Eccleſiæ Doctores parùm quidem ſcripſiſſe de Confeſſione, ejuſque Divino Pręcepto, ſed fuſiſſimè de ſatisfactione. Nihil enim frequentiùs inculcant Patres, quam debere eum, qui poſt Baptiſmum peccavit, agere longam, & aſperam pœnitentiam, hinc illi Canones adeò ſeveri, quos ſupra recitavi, qui toto primo milleſimo, & ampliùs auribus peccatorum inſonuere. Poſtea verò cępere Doctores de ſatisfactione, & pœnitentiis parùm ſcribere, de confeſſione verò fuſiſſimè, quàmque illi inculcant multas pœnitentias, tam hi inculcant frequentes cõfeſſiones. Hæc tamen non tam diverſitas doctrinæ eſt, quam temporum. Ea enim tempora eam doctrinam depoſcebant, hæc aliam. Hinc eadem Eccleſia, quæ certè errare non poteſt, raro

olim de theſauro Eccleſiæ pœnas remittebat, nunc autem id frequenter facit, & liberaliter. Nec id facit (ut multi putant) velut invita, & coacta, ut Medici faciunt, dum ægro ſalubriora recuſanti, medicamentum minus ſalubre propinant, ſed volens, & libens. Experientiâ enim compertum eſt, eas pœnitentias à pleriſque peragi non poſſe, pleriſque irrogari non poſſe (quod utrumque oſtendam poſtea) & rursùs Confeſſionem ſic exactam eſſe magnam, & optimam ſatisfactionis partem, & perutile medicamentum, quo curari omnes poſſint, quodque populi non reſpuant, ſi prudenti benignitate adminiſtretur, & aliquid de pœnitentiis remittatur. Hinc ut minor pœnitentia cæpit imponi, & confeſſio frequentari (quod aucto numero Sacerdotum ſine magno labore fieri potuit) ita cœpit minus agi de pœnitentiis, & magis de confeſſione, nempè illud effici, quod modò, ſi mortalem nobiſcum vitam ducerent, facerent abſque dubio Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus, ſicuti, ſi cum his vixiſſent Cajetanus, Sotus, Navarrus, Suarius aliiſque his ſimiles Doctores, multùm de ſatiſfactione parùm de confeſſione ſcripſiſſent.

6 Moneo demùm facilè quempiam induci poſſe, ut tandem fateatur, uſurpatam ſemper à bonis Fidelibus fuiſſe hanc omnium gravium

pec-

peccatorum confeſſionem non ſolùm in morte, ſed quoties poſt gravem culpam urgeret præceptum, aut neceſſitas communionis, ſi ſemel admittat, quod nimis claré tradunt Scripturæ, & omnes Patres, nempè verè traditam à Chriſto Domino Sacerdotibus fuiſſe eos abſolvendi poteſtatem, qui ſuas eiſdem culpas cum vera pœnitentia proderent; & rursùs impoſitum cuique præceptum non accedendi poſt peccatum grave ad communionem, niſi eo deleto expiatoque. Hæc enim duo quicunque noverit, & cupidus ſit ſalutis ſuæ, ſpontè ſua accedet ad Sacerdotem, ut abſolvatur, nec diù expectabit, faciet certè quoties de vita periclitabitur, aut volet communicare. Id facilè experientur, qui in regionibus Ethnicorum novas fundant Eccleſias. Quos enim de ſua poteſtate remittendi quævis peccata, & de præcepto non communicandi, niſi remiſſis culpis, inſtruxerint, habebunt, ſin minùs omnes, certè non paucos ſpontè confitentes culpas ſuas, ut abſolvantur. Hinc modò in omnibus Eccleſiis multi adeunt Confeſſarios, & reconciliari petunt, etiam cùm nullo præcepto urgentur, idque faciunt ex ea fide traditę Sacerdotibus poteſtatis, & timore mortis æternæ, aut ex amore recuperandi Divinam amicitiam. Hanc certè fidem, hunc timorem, hunc amorem

multi omnium temporum Fideles habuere,imò majorem habuere naſcentis Eccleſiæ Fideles, utpotè meliores, quorum tamen aliqui graviter peccarunt aliquando,ut conſtat ex D.Paulo. Ergo etiam illi, cùm potuere, eo modo quo nos facimus, confeſſi fuere. Cùm potuere, inquam, nam ſæpè non poterant, cùm oppida multa, aut Sacerdote carerent, aut unicum haberent multis diſtentum curis,quem videre vix poſſent, nedùm habere ſuarum culparum auditorem, & judicem. Hinc inductus rarus confitendi uſus; hinc fortè in aliquibus Eccleſiis invectus uſus communicandi ſine prævia confeſſione, non tamen ſine prævia pœnitentia, ut ex uſu neceſſario in perſecutionibus Tyrannorum diù probandi Catechumenos, ne facilè in quæſtione fidei laberentur, fluxit abuſus diù, & ſine juſta cauſa differendi Baptiſmum. Cùm autem abuſus non ſtatim tolli poſſint, nec ſtatim auctus fuerit pro numero Fidelium numerus Sacerdotum, qui confeſſiones frequenter audire poſſent, diù manſit in Eccleſia infrequens Confeſſio peccatorum, coactique Patres multùm agere de interna pœnitentia, externiſque pœnitentiis, quod unicum pleriſque ſupererat ſalutis remedium,donec fuit uterque abuſus ſublatus, & Baptiſmi accelerata luſtratio, & Confeſſionis frequentia reſtituta, eaque

Theo-

Theologis inducta neceſſitas tàm fusè diſſerendi de confeſſione, ſcribendique eos doctiſſimos tractatus, quibus Caſuiſtæ non pauci Rempublicam literariam locupletarunt, & Confeſſariis neceſſariam ſuo muneri benè obeundo notitiam tradidere.

His puto ſatis ſuperque fulciri hanc tertiam reſponſionem doctrinæ Tridentini magis conſonam, & enervari ea ſex argumenta, quæ capite tertio propoſui.

7 *Cler.* Validiſſima quidem ea mihi videbantur, ut ſtatim, ac ea propoſuiſti, ingenuè pronunciavi, nunc verò ſic me docuiſti ea, quâ infringere, quâ retorquere, quâ retundere quibuſdam doctrinæ temperamentis, ut jam nihil timeam ab hoſtibus veritatis, ac tertiam hanc reſponſionem amplecti ſtatuam. Quod ſolùm in fine dixiſti, nempè à Caſuiſtis fuiſſe his ultimis ſæculis litterariam Rempublicam locupletatam, ac traditam Confeſſariis notitiam humani Divinique juris ſuo muneri obeundò neceſſariam, non levem difficultatem habet judicio multorum, qui putant, Caſuiſtas fuiſſe perniciosos magis quam utiles ſcriptis ſuis, tùm quia ſententias tuentur (ut dicunt) nimiùm benignas, ac libertati magis, quàm legi faventes; tùm quia parùm pudicè (ut iidem dicunt) multa percenſent, præſertim ubi agunt de ſex-

to præcepto, & matrimonio, cujus nefandos, & fędos abuſus ita deſcribi ab eis audivi, ut offenſi indè fuerint Hæretici ipſi, & captarint occaſionem dicendi, Confeſſionem, cui faciendæ, audiendæque ſit neceſſarium id genus librorum moribus noxium, non eſſe à Chriſto Domino inſtitutam.

Certè hæc à te aſſerta horum librorum neceſſitas videtur evertere quod antea tam ſtudiosè ſtatueras. Nam ſi libri Caſuiſtarum ſunt neceſſarii obeundo muneri Confeſſarii, cùm hi libri ſolùm poſt Innocentium III. edi cęperint, (primam enim ſummam S. Raymundus, qui collegit epiſt. decretales, ſcripſiſſe videtur) ſequitur neceſſariò, aut ante Innocentium non fuiſſe, qui munus Confeſſarii obierint, aut eos neceſſariâ doctrinâ per duodecim ſæcula caruiſſe, ac proindè fuiſſe hoc Sacramentum malè adminiſtratum. Hoc ſecundùm dici nequit ſine injuria Divinæ providentiæ, ergò erit verùm illud primum, nempè Confeſſionem, ut modò ſit, & Confeſſarii munus eſſe novum inventum.

Auct. Hoc ultimum tantùm habet aliquam difficultatem ſaltem apparentem, quam licet occupaverim in tertia Monitione, ſolvam infra uberiùs, & clariùs. Illud verò multorum de Caſuiſtarum libris, ſententiiſque judicium

eſſe

eſſe prorſus calumnioſum, oſtendi in Cler. Rom. lib.2. diſp.5. & 7. Quia verò hìc aliquid addis in cumulum calumniæ contra utilitatem, & honeſtatem Caſuiſtarum, & novæ quotidiè ſparguntur in vulgus de optima facultate quærimoniæ, inſtituenda nova defenſio eſt. Et quidem nihil miror, ea, quæ tu referebas, & alia hujuſmodi dici ab Hæreticis, qui ut odere Confeſſionem auricularem, ſic odere Caſuiſtas, qui ejus diſciplinam illuſtrarunt. Miror autem multùm, ea dici à Catholicis, iiſque, qui contra Hæreticos Confeſſionis Sacramentalis hoſtes ſcribere ſe profitentur, ut profitetur Auctor recens hiſtoriæ Eccleſiaſticæ eruditis diſſertationibus illuſtratæ. Is enim tom.7. diſert.14.ſect.3.quamvis non videatur damnare omnes Caſuiſtarum libros,imò laudare aliquos, re tamen vera ſaltem inutiles foro pœnitentiæ eſſe omnes, ſatis innuit, primò, quia dicit *Græcis hoc librorum genus incognitum eſſe, apud quos nihilominus Confeſſio Sacramentalis viget.* Secundò, quia dicit *Eccleſiam, antequam hæc turba Caſuiſtarum erumperet quindecim ſæculorum ſpatio floruiſſe, Confeſſionem Sacramentalem retinuiſſe., & pœnitentiam adminiſtraſſe ſanctiſſimè.* Sed Eccleſia per duodecim ſęcula floruit, Confeſſionem Sacramentalem retinuit, & pœnitentiam adminiſtravit ſanctiſſimè, antequam

tequam erumperet ullus Caſuiſta , ergo non ſolùm turba Caſuiſtarum inutilis eſt, ſed ſunt inutiles omnes foro Pœnitentiæ. Cui autem dicantur utiles, ſi inutiles eſſe dicuntur foro Pœnitentiæ? Tandem Dallæo Hæretico ſugillanti multos noſtros Caſuiſtas, & præſertim Thomam Sanchez, quòd omnes ſpurcitiarum modos ipſis flagitioſiſſimis hominibus inuſitatos deſcribant, non contradicit, & prædicti præſtantiſſimi Theologi Opus de matrimonio, cui univerſus Orbis litterarius applauſit, ipſe tamen carpit tanquam non ſatis *ſobriè* concinnatum. Hæc inquam aſſeri ab homine, qui hæreticum ſcriptorem refellit, qui ejus Ordinis eſt, à quo prodiit diſciplina Caſuiſtarum, quique ſummam eruditionem profitetur, & habet, mirabile prorſus eſt. Sunt enim manifeſtè falſa, ut oſtendam capite ſequenti in quo probabo 1. Theologiam moralem, ut modò traditur, ac proindè facultatem Caſuiſtarum eſſe nunc foro Pœnitentiæ non ſolùm perutilem, ſed neceſſariam. 2. perutilem quoque fuiſſe, & eſſe toti Reipublicæ literariæ. 3. Nullum indè malum ſaltem novum fluxiſſe.

CA-

CAPUT VIII.

An foro Pœnitentiali fuerint utiles, jamque etiam neceſſarii ſint libri Caſuiſtarum, & qui fuerit ortus, & progreſſus Theologiæ Moralis.

DUbia de actionibus ad mores, & conſcientiam pertinentia, quæ ſolent ex caſibus, ſeù eventibus humanis reſultare, Caſus Conſcientiæ dicimus. Hujuſmodi dubiis expediendis fuit primò vulgatus Codex Canonum, & collectio epiſtolarum, quibus Summorum Pontificuum ad hujuſmodi morales quæſtiones reſponſa, aliaque circa Diſciplinam Eccleſiaſticam decreta continentur. His poſtea additę fuere Patrum ſententiæ, & aliorum, quæ poſtea celebrata fuere, Conciliorum decreta; Utque plures fuere, qui hanc provinciam colligendi Canones, & Patrum ſententias ſuſceperunt, ita plures fuere hujuſmodi Collectiones, aut numero rerum collectarum, aut ordine capitum, ac titulorum diverſæ. Ad faciliorem tamen eorum directionem, qui confeſſionibus, & pœnitentiis præerant, ex toto corpore Decretorum, Canonum, & Sententiarum ea excerpta fuere (præſertim circa ſæculum ſeptimum)

mum) quæ ad pœnitentiam pertinebant, & ſimul collecta in unum libellum, qui indè dictus fuit *excerptum de Canonibus Patrum ad remedium animarum*, vel *De Remediis peccatorum*, vel tandem *Liber Pœnitentialis*, de quo genere librorum ſatis egimus lib. 1. Hujus pœnitentialis libri, ſeu appendix, ſeu pars fuit Ordo quidam, & inſtructio continens modum, & ritus quibus Pœnitens ſuſciperetur, audiretur, interrogaretur, ac tandem reconciliaretur. Is liber fuit toto primo milleſimo, & ampliùs tota Bibliotheca eorum, qui Confeſſiones audiebant, nec ipſos Patrum libros legere, aut ſatis intelligere per ſe poterant, ut plerique erant, quibus proindè in ſuo munere dirigendis hujuſmodi Pœnitentiales libri conſcripti fuere. Qui verò præ cęteris eruditus haberi volebat, præter librum Pœnitentialem, eique adnexum Ritualem, tertium, quem dicebam, codicem omnium Canonum, qui initio pauci fuerunt, ſibi comparabat.

2 Labente ſæculo tertio decimo cęperunt aliquot acris ingenii viri ſententias Patrum ad doctrinam Fidei pertinentes paulò ante à Petro Lombardo collectas, & Patrum ſimiliter ſententias ad doctrinam morum ſpectantes, canoneſque, & reſponſa Pontificum paulò ante etiam ipſa à Gratiano collecta interpretari, expli-

explicare, & multas circa utramque doctrinam quæſtiones ſubtiliter movere. Hinc orta Theologia Scholaſtica, nempè diſputatrix, & methodica, & facultas Canonica Canonum interpres, & ex utrâque, Theologia moralis, ſeu Caſuiſtarum, qui ſic dicti poſt aliquot ſęcula fuere, quia ipſi reſpondent Caſibus Conſcientiæ, non quidem ut olim Epiſcopi, Concilia & Pontifices, nempè tanquam Eccleſiæ Paſtores, Doctoreſque à Deo conſtituti, ſed ut privati interpretes ſcripturarum, legum, eorumque omnium, quæ aut Patres ſenſerant, aut ſanxerant, nempè ſententiarum, & ſanctionum. Hi, præter multas quæſtiones morales inſertas tractatibus Theologiæ ſpeculativæ, ſcripſerunt Directoria quædam Confeſſariorum, in quibus methodo longè meliori, fuſiùſque quam olim fieret in libellis Pœnitentialibus, totaque Canonum-collectione, agitur de iis, quæ Confeſſarius ſcire debet. In illis ſiquidem non ſolùm traditur modus interrogandi, caſtigandi, & abſolvendi Pœnitentem, ſed ſingulæ partes Sacramenti explanantur, eaque circa illas doctrina traditur, qua quæſtionibus, caſibus, & dubiis ſaltem, quæ ſolent in eo foro proponi, facilè reſpondetur. Hoc directorium vocavit S. Bonaventura Confeſſionale, ejuſque partes præcipuas allegavi, & expendi in Cler.

Rom.

Rom. lib.2.diſp.4. à num.12.Summam vocavit S. Raymundus quem ſecuti ſunt, qui ſummas hujuſmodi ſcripſere. Cæpere tandem ſcribere fuſiùs, aliqui de parte aliqua doctrinæ moralis, ſeu Canonicæ moralis, puta de Pœnitentia, de Sacramentis, de Indulgentiis, de Cenſuris; aliqui verò de tota materia, cujus partes omnes eo ordine quo traduntur ab aliquibus inſignibus Doctoribus, exhibui in meo Tyrocinio Theologico part.5.ſub initium. Id genus ſcribendi placuit præſertim Scriptoribus ſexti, & ſeptimi ſæculi, inter quos certè aliqui, aut non ſatis ſcitè, aut non ſatis cautè, ſcripſere, quos vindicare certè nolo, ſed ipſam diſciplinam moralem, ut à quinque ſæculis tradi cæpit, & etiam nunc traditur, quam inutilem, aut etiam perniciosam vocant hæretici, quorum dicta retuli in Cleric. Rom. libro 2. diſput. 5. num. 1. & 2. quamque contemnere videntur non pauci Doctores Catholici, qui ſub finem ſæculi decimi ſeptimi ſcripſere, ſcribuntque.

3 Hanc ergo facultatem tueor, hanc modò commendo, & aſſero primò, hujus facultatis multos libros fuiſſe, & eſſe perutiles Confeſſariis. Id probo primò, ex eo quòd liber Canonum in pleriſque materiis vix lumen aliquod præbebat: hæc enim tria dumtaxat Canones

nones præſtabant. Aliqua fieri mandabant, aliqua prohibebant, pœnas demùm, ſeu pœnitentias tranſgreſſoribus infligendas ſtatuebant. Sic autem Canones mandant aliquid fieri, ut plerùmque non definiant, aut explicent quid illud ſit, quod jubent, aut vetant, aut non ſatis id explicant. Hinc, licet ex. gr. quis ſciret eſſe Canone vetitam ſimoniam, adhuc ſubindè ignorabat, an actio aliqua eſſet, vel non eſſet ſimoniaca. Similiter, quamvis Canones negotiationem Clericis prohiberent, publicos uſurarios excommunicarent, pœnitentiam imponerent ex gr. pro furto ſcienter, ſpontè, & non ex metu, aut neceſſitate, aut ignorantia commiſſo, pro ſuperſtitionibus, vanis obſervationibus &c. cùm tamen non explicarent, quæ actiones facerent Clericum negotiatorem, quæ lucra eſſent uſuraria, an neceſſitas, aut indigentia à culpa furti excuſaret, quæ eſſet radix, & obligatio reſtitutionis, quæ eſſent jura contractuum, quæ ignorantia culpabilis, quæ actio ſuperſtitioſa, & alia ſexcenta, ex quibus ſubindè pendet humanarum actionum judicium, tunc Confeſſarii ex codice Canonum judicium ferrè plerùmque non poterant, ut modò poſſunt ex tractatibus Caſuiſtarum prædicta omnia diſtinctè, ac diſertè explicantium.

4 Nec

4 Nec id auxilii præbebant ipſis libri pœnitentiales, qui præter interrogationes peccatorum, Canones pœnitentiarum, & indicem vitiorum capitalium, nihil continebant aliud, ut paulò ante dicebam. Is enim erat horum librorum tenor, ſi eorum meminiſti, quæ dixi lib. 1. *Qui fecerit homicidium, ſi fecerit coactus, & ex metu, tot annos pœniteat; ſi ſpontè tot alios: ſi verò caſu, tot. Qui fecerit furtum, ſi ex cupiditate, tantò tempore pœniteat, ſi ex aliqua neceſſitate, tanto.* Quid autem ſit gravis metus, vis, ignorantia culpabilis, neceſſitas excuſans, aliaque hujuſmodi, nec quærunt, nec explicant, ut modò noſtri Doctores faciunt. Igitur perutiles ſunt Caſuiſtarum Tractatus, & ſummæ hæc omnia explicantes, quæ ſaltem omnia, olim, nec per Canonum collectiones, nec per libros Pœnitentiales, nec per tertium librorum genus, quod ſolos ritus Sacramentorum continebat, erant explicata.

5 Verùm non explicatio ſolùm eorum, quę erant obſcura, Caſuiſtarum, ac Theologorum libros commendat, ſed etiam eorum, quæ utilia ſunt ad dirigendum Confeſſarium, ſelectus, qui in antiquis Codicibus deſiderabatur. quorum pars magna quamvis utilis eſſet ad rectè judicandum in cauſis forenſibus, & ad quan-

dam

dam eruditionem, vix tamen utilis erat ad dirigendum in ſuo præcipuo munere Confeſſarium. Primò, quia multi Canones vim præcepti non habebant, aut non ita certò, vel ita probabiliter habebant, ut ex eis ſtatui poſſet quid liceret, quid non liceret, quid proindè corrigendum in Pœnitente eſſet, quid diſſimulandum. Secundò, quia ſæpè Canon erat, aut videbatur uſu communi, aut contrario Canone abrogatus. Tertiò, quia ſæpè, nec fuerat unquam ubique receptus, ſed ab aliqua tantùm Eccleſia, & pro ea ſola conditus. Quartò, quia multi Canones, ita pertinebant ad ſolum forum externum, ut eo nihil dirigeretur forum internum. Exemplis hæc omnia confirmo.

6 Liberius Papa cap. 5. ut refert Jvo par. 4. cap. 47. ſic ſtatuit. *Abſtinendum eſt ſacratiſſimis Quadrageſimæ diebus à conjugibus, & caſtè, & piè vivendo in ſanctificato corde, & corpore iſti dies tranſigantur, & ſic perveniatur ad diem ſanctum Paſchæ, quia penè nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes vigiliæ, & eleemoſynæ non commendant*. Idem Pontifex apud eundem cap. 46. dicit *nullas lites debere eſſe tempore Quadrageſimæ, nec debita exigi à debitoribus, ſed in Dei laudibus, & opere neceſſariò perſiſtendum*. In Concilio Eliberitano apud præ-

laudatum Jvoném part. 15. cap.163. ſtatuitur, ut conjuges non ſolùm in Quadrageſima, quæ feſtum Paſchale præit, ſed *in tribus Quadrageſimis, in die Dominico, in quarta feria, & ſexta ſe contineant*, & in Triburienſi cap.165. *ne quis die Dominico nubat*, & in Salegunſtadienſi cap.174. apud eundem, *ne quis gladium in Eccleſiam ferat, regali tantùm excepto*. Et in Arauſicano apud Burchardum lib.1.cap.105. ut *Epiſcopi omnibus diebus Dominicis, & præcipuis feſtivitatibus*, imò *quotidiè cum poſſent, Miſſas celebrent*. Quis autem dicat hæc in tota antiquitate totâque Eccleſia, uſque ad ſæculum 13. vim præcepti gravis habuiſſe? Hujuſmodi autem Canonum ingens numerus fuit.

7 In Concilio Aurelianenſi, ut refert Burchardus lib. 9. cap. 93. ſtatuitur, ut *ſi quis Clericus vexatus fuerit à Dęmonio, decem annos pœniteat, & inter audientes ſtet &c.* Qui quod alienum eſt rapuit, quamvis id fecerit *ex neceſſitate, & propter famem, & nuditatem* pœnitentia trium hebdomadarum plectitur à Theodoro in ſuo Pœnitentiali apud Burch. lib. 11. cap. 46. Qui furem, aut latronem interficit, *quamvis ſine odii meditatione, ſed ut ſe, & ſua liberaret, cum capi non poterat*, ut homicida plectitur à Patribus Aurelianen-

lianenſibus apud Burch. lib. 11. cap. 60. Homicidia caſu, & ſine voluntate commiſſa undecim annorum duriſſimâ pœnitentiâ caſtigantur à Sancto Baſilio Can. 57. Mitiùs quidem plectuntur in Concilio Nannetenſi apud eundem Burch. lib. 6. cap. 16. pœnitentiâ tamen ſatis aſperâ, & longâ. Sic enim ſtatuitur. *Si quis caſu non volens homicidium perpetraverit, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione Fidelium ſegregetur, non communicet, nec offerat; poſt biennium in communionem orationis ſuſcipiatur: offerat autem, non tamen communicet. Poſt quinquennium ad plenam communionem recipiatur, abſtinentia ciborum in arbitrio Sacerdotis maneat*. Cædes factæ in bello juſto, ſunt abſque dubio inculpatæ, & is potius reus eſt (inquit S. Auguſt. de civ. lib. 1.) qui contra ſui Ducis imperium à cæde parcit. & ipſe S. Athanaſius in ſua Epiſt. Canonica ſic definit. *Non licet occidere, ſed occidere in bello adverſarios eſt juſtum, & laude dignum*, & tamen Sanctus Baſilius Can. 13. quem allegavi lib. 1. cap. 4. trium annorum pœnitentiâ has cædes caſtigat. Minùs ſeverè quidem, ſed tamen trium Quadrageſimarum, aliorumque dierum jejunio eædem puniuntur in Pœnitentiali Rom. apud Burch. lib. 19. cap. 5. Multi autem ſunt

hujuſmodi Canones, qui pœnas infligunt pro ſolis culpis præſumptis, aut actionibus quibuſdam, quæ ſolùm culpæ periculum habent, aut potius defectum cujuſdam abundantioris juſtitiæ, & virtutis, propter quas Eccleſia aliquando reiicit à Sacerdotio, & irregulares facit. At Confeſſarius propter hęc punire nullum poteſt. Igitur per hos Canones nihil, aut parùm dirigebatur in judicio actionum, & pœnitentiarum.

Hæc autem cauſa eſt, propter quam, licèt etiam modò antiquæ illæ Canonum collectiones, in gratiam Eccleſiaſticorum editæ, & libri Pœnitentiales, dirigendis Confeſſariis concinnati, extent; adhuc tamen in dubiis quæſtionibus, quæ ſemper inſurgunt in foro ſacro, has collectiones, vel libros non conſulimus, nec, ut aliàs notavi, eos verſant modò, qui ſe Confeſſionibus audiendis idoneos probari cupiunt; ſed Summas, aut Inſtructiones, aut Tractatus Cajetani, Soti, Toleti, Bonacinæ, Laymani, aliorumque hujuſmodi evolvunt; & niſi id fecerint, quæſtiones, quæ ab Epiſcopis, eorumque Judicibus proponuntur, & proponi debent, non enodabunt.

8. *Cler.* Non igitur per eas Canonum collectiones, libroſque pœnitentiales, erąt olim Confeſſariis ſatis proviſum; ac proindè fatendum

dum erit, aut hoc Sacramentum non fuiſſe adminiſtratum, aut malè adminiſtratum, ut ſub finem capitis præcedentis colligebam.

Auct. Reſpondeo, multa eſſe uno tempore neceſſaria, quæ non ſunt alio; ut multa ſunt uno loco neceſſaria, quæ alio non ſunt; & multa ſunt uni fini obtinendo, non alteri neceſſaria. Quis ignorat, longè majorem prudentiam ac dexteritatem requiri gubernandæ Urbi ampliſſimæ, quàm oppidulo; majori doctrina opus eſſe, ut Hæretici revocentur ad fidem, quàm ut ad eandem populi rudes adducantur; plùs aliquid modò in omni arte requiri ut quis bonus artifex habeatur, quàm olim, cùm nullæ artes erant, aut ſola artium initia; demum longè difficiliùs eſſe plures eoſque bonos artifices reperire quàm paucos? Olim pauci erant Confeſſarii, iique aut ſoli Epiſcopi, aut Presbyteri ſelectiores; Populi non ita ſubtiliter in moribus ac diſciplinis eruditi; confeſſio longè rarior, decreta, legeſque quibus Confeſſarius adſtringitur & ab ipſo ignorandæ non ſunt, longè pauciores. Modò verò hæc decreta plura ſunt, populi cultiſſimi, & ut evenit in populo culto, quæſtiones multæ, & difficiles; Confeſſio modò longè frequentior, ac proindè longè major numerus Sacerdotum qui confeſſiones excipiunt, quorum plerique, ut evenit in

magno numero, nec magno ingenio præditi ſunt, nec ita animo aut viribus comparati, ut velint aut poſſint multo ſtudio morum diſciplinæ vacare; indigent ergo libris, quibus facilè ac diſtinctè de omnibus quæ ſunt huic muneri obeundo neceſſaria, doceantur, hi autem non ſunt niſi Summæ Caſuiſtarum, his ergo indigent, quibus non ita indigebant olim Confeſſarii pauciores, magis ſelecti, & longè minùs conſulti. Demum cùm ſubſidia humana deſunt, ſuppetunt Divina, quæ tamen Deus præbere non vult, cùm illa abundant; hinc fundatis jam Eccleſiis, ea miracula ſubtrahit, qnibus eas, cùm fundarentur, innutrivit, & ſuſtentavit. Cum libri Caſuiſtarum defuere, & aliquid difficilè incidit, cui expediendo non ſatis eſſet humana eorum temporum inſtructio, Confeſſarios direxit Deus; ubi non ea erant peccata populi, quæ deſeri ſine tali remedio mererentur. Nunc verò abundantibus humanis tot librorum ſubſidiis, hæc adhiberi vult Deus. Undè fit, ut qui non erant olim, jam ſint libri Caſuiſtarum neceſſarii.

Cler. At Eccleſia Græca caret his libris, & tamen etiam nunc ſanctè, & utiliter hoc Sacramentum adminiſtrat, ut, ſi memini, prædictus Auctor dicebat. Igitur nec modò neceſſarii ſunt.

Auct.

Auct. Nego his libris carere eam Græcæ Eccleſiæ partem, quacum eâdem fide & obedientiâ copulamur: vel enim habet ſuos in hac ipſa morali facultate Doctores, vel proficit lectione noſtrorum. Si verò ſermo ſit de ſchiſmatica, ſuo ingenti malo caret his libris, ſi verè caret. Quis enim ignorat ejus Eccleſiæ circa hoc Sacramentum, vel ejus adminiſtrationem aut errores, aut abuſus, eoſque præſertim aut ferè nunquam confitendi (quod potiſſimum faciunt Sacerdotes, ut refert Arcud. in Concordia Eccleſiæ Occident. lib.4. cap.2.) aut confitendi ſolum leviora peccata, quod faciunt laici, aut puniendi ſeveriſſimè quædam minora peccata, ut jejunium omiſſum, benignè verò alia graviora ut carnis flagitia, aut imponendi pœnitentibus pœnas pecuniarias, aut eleemoſynas, quæ cedant in lucrum Confeſſarii, aut frangendi leges ſacri ſigilli, undè innumera oriuntur non integrè confitentium ſacrilegia, ut mihi teſtati ſunt homines fide digniſſimi qui diù eas regiones inhabitarunt. An hæc ſit ſancta & utilis hujus Sacramenti adminiſtratio? Eſt igitur falſum, quod dicebatur: quamvis aliæ quoque ſint horum vel errorum vel abuſuum cauſæ, quod non negarim. At ſatis de neceſſitate hujus facultatis, librorumque.

Cler. At quomodò neceſſarii ſunt ii libri,

qui pernicioſi ſunt, ut is de quo loquebaris, aliique multi dicunt.

CAPUT IX.

A quibuſdam calumniis Moralis facultas, ejuſque libri vindicantur.

AUCT. Et hoc etiam quod dicunt, falſum eſt. Ea enim quæ adeo execrantur Caſuiſtarum mala, aut nec mala ſunt, aut aliquorum tantùm, eaque Caſuiſtis antiquiora. Et primò ea, quæ eſt in aliquibus dubiorum, caſuum, quæſtionum, & allegationum copia, quæ facit eorum libros aut nimis prolixos, aut nimis ſpiſſos, vel malum non eſt, vel malum innocens, cùm non deſint qui breviùs, quique breviſſimè in idem argumentum ſcripſerint, ut, ſi viæ ſint breviores, aut breviſſimæ, malum innoxium eſt quod ſint etiam longiſſimæ, immo commodum id eſt, ſi quæ longæ ſunt, ſint etiam faciles, & expeditæ: cùm non omnibus placeat via quæ brevior, ſed quæ facilior; facilius autem aliqui ad intelligentiam rerum perveniunt, ſi fuſiùs pertractentur.

2 Secundò ſunt quidem aliqui Caſuiſtarum libri ſua laxitate pernicioſi, hinc aliquæ ipſorum propoſitiones à Pontificibus fuere

juſtè

juſtè ſanctèque damnatæ. At aliqui, immo plurimi olim fuere libri Pœnitentiales juſtò benigniores, laxique, & ideò à Patribus, & Conciliis rejecti. Concilium Turonicum tertium cap. 22. Cabilonenſe ſecundum ſub Carolo Magno cap. 38. Pariſienſe ſextum ſub Ludovico cap. 32. graviter invehuntur in quoſdam libros pœnitentiales, & ſeverè Sacerdotibus mandant, ne eis utantur. Ex his Concilium Pariſienſe ſtatuit, *ut unuſquiſque Epiſcoporum in ſua Parochia eoſdem erroneos codicillos diligentiſſimè perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulteriùs Sacerdotes imperiti homines decipiant.* Nec tamen contra libros omnes Pœnitentiales declamatum eſt, cur ergo modò declametur contra omnes ſummas Caſuiſtarum?

3 Diſplicet in his fortaſsè tanta opinionum diverſitas, & contrarietas? At quanta olim in libris Pœnitentialibus fuit, quanta in ipſis Canonibus? Simplicem fornicationem unius anni pœnitentia vindicat Euſebius Papa, ut refert Juo epiſt. 16. At Concilium Meldenſe apud Burchardum lib. 9. cap. 68. triennii pœnitentia punit, S. Baſilius ſeptennii, S. Greg. Nyſſenus novennii pœnitentiâ caſtigat. Hanc Canonum, ſeu Canoniſtarum contrarietatem notat Concilium Moguntinum apud eundem Burchardum lib. 17. cap. 21. *Theodorus* (inquiunt Patres) *judica-*

dicavit, eum qui inceſtum fecerit, duodecim annos pœnitere debere, alii quindecim, alii decem, alii ſeptem. Cumque diſcreparent omnes, nec rationem, cui inniterentur afferrent, hærebant ſępiſſimè Confeſſarii, ignari quem potiùs ſequerentur, ut conſtat ex Excerpto Gregorii Papæ III. quod affert Labbe tom. 6. Concil. pag. 1476. cujus initium hoc eſt. *Cernimus in Eccleſia, quod nos valdè contriſtat, quoniam ita confuſa ſunt judicia pœnitentium in Presbyterorum noſtrorum opuſculis, atque ita diverſa, & inter ſe diſcrepantia, & nullius auctoritate ſuffulta, ut vix propter diſſonantiam poſſint diſcerni. Unde fit, ut concurrentes ad remedium pœnitentiæ, tam pro librorum confuſione, quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus eis valeant ſubvenire.*

4 Tertiò, cum de ſexto pręcepto, aut matrimonio agunt noſtri Caſuiſtæ, turpitudinum ſpecies recenſent quidem, ſed non deſcribunt, ut idem ſcriptor aſſerit, aut longè minùs deſcribunt, quàm eas deſcribant veteres Canoniſtæ, ſcriptoreſque librorum pœnitentialium, Pręſules, aut Presbyteri ſanctiſſimi, nempè Theodorus Epiſcopus Cantuarienſis, à Vitaliano Papa, ut ſupra dixi, in Angliam miſſus, Beda non ex doctrina ſolùm, ſed ex ſanctitate celebris, Burchardus Epiſcopus Vormacienſis, & Di-

& Divorum honoribus, ac titulis ab Eccleſia decoratus, aliique; ex quibus Burchardus (ſimilia habent reliqui) lib. 19. Decretorum cap. 5. non ſolùm omnes ſpecies turpitudinum recenſet, ſed eas diſtinctiſſimè deſcribit, nec ſpecies tantùm, ſed modos omnes, quo hęc peccata à viris, & fœminis committuntur, aut manu ſuâ, aut medio aliquo inſtrumento, aut ſecum, aut cum aliis, aut intra, aut extra vas, aut alio quovis modò, quem ipſum modum non innuit, ſed exhibet oculis clariſſimè, ſoluſque ipſe plus dicit, quam fortaſsè dixerint omnes noſtri Caſuiſtæ, quotquot unquam & uſpiam extiterunt.

Igitur quęcunque diſplicent in Caſuiſtis, aut culpam nullam continent, aut eam ex qua longè magis culpandi ſunt antiqui Doctores, Patreſque. Hos autem quis culpare audeat? Ergo innocentes fuerunt ipſi, & innocentes quoque ſunt ex hoc capite Caſuiſtæ.

5 Sed illud eſt prorsùs mirabile, & vix credibile, quod videlicet nonnulli ex iis, qui calamum Caſuiſtarum redarguunt, tanquam parum pudicum, confeſſionibus ipſi puerorum, & puellarum interrogationes ſubindè interſerunt (ex bono animo quidem ſed non ſatis prudenti) nihil pudicas, nec ſolùm minimè neceſſarias, ſed aliquandò pernicioſas, ut conſtat

eas

eas non ſemel fuiſſe puellis, hujuſmodi fœditatum antequam interrogarentur, prorsùs ignaris. Quis non videat, quàm iſta ſecum pugnent? An dedecet has ſpurcitias calamo verſare, linguâ autem decet? An majori cum reverentia tractanda eſt materia moralis, quam Sacramentum? An eſt religioſior mens & oculus virorum legentium, quam aures puellarum audientium? An periclitetur magis honeſtas legentis Confeſſarii, quam periclitetur honeſtas audientis puellæ facilè putantis communia eſſe ea delicta, de quibus omnes interrogantur? An demum culpa non caret qui de peccatis impudicitiæ agit cum lectoribus, quorum plerique iſta non ignorant, nec ignorare debent, ut ea curare ſciant, culpâ autem carebit qui de eiſdem agit cum puellis, & pueris, quorum plerique aut ſaltem non pauci ex iis quos ſuſpicioſus Confeſſarius interrogat, hæc probra naturæ prorsùs ignorant, & utiliter ignorant?

6 At (inquiet aliquis) in antiquis collectionibus, libriſque pœnitentialibus de peccatis impudicitiæ interrogatur Pœnitens cujuſvis ætatis, & ſexus. Sic enim Burchardus ut ſupra innuebam lib. 19. cap. 5. *Feciſti fornicationem, ſicut Sodomitæ fecerunt, itaut &c. vel intra coxas &c.* vel *itaut in manum tuam &c.* Similiter poſt aliquot paginas interrogat fœminas ſic:

Feci-

Feciſti quod quædam mulieres facere ſolent, ut faceres quoddam molimen, ſeu machinamentum &c. Feciſti quod quædam mulieres facere ſolent, ut jam ſupradicto molimine &c. Feciſti quod quædam mulieres facere ſolent, quando &c. Parco excribere totam periodum, quia non eſt neceſſe. Igitur ſunt de his interrogandi pœnitentes etiam pueri, puellæque, hujus enim ætatis potiſſimum hæc peccata ſunt.

Sic objicienti reſpondeo, de his aliiſque innumeris interrogari Pœnitentes in prædictis libris antiquorum Canoniſtarum, non quidem ut Confeſſarius ſic interroget Pœnitentes, ſiquidem nec una dies ſatis eſſet ſcrutando audiendoque unico pœnitenti, ſed ut diſcat ipſe ſpecies omnes morborum, quibus uterque ſexus urgetur, & aliquid interroget aliquando, cùm videlicet pœnitens titillatum ſe fatetur, aut innuit, aut ipſe detegere incipit ſcabiem ſuam, quam tamen non augeat interrogatio, quamque reſponſio pœnitentis non affricet Confeſſario.

7 Quamvis autem damnandi non ſint prædicti veteres Canoniſtæ, librorumque Pœnitentialium ſcriptores, qui omnes effręnatæ, aut prępoſteræ libidinis ſpurcitias per has interrogationes deſcripſere, laudabiliores tamen fuiſſent, ſi eas innuiſſent tantum, aut ſaltem minus

fusè

fuſè deſcripſiſſent, ut faciunt Caſuiſtæ, iſque etiam quem Dallęus damnat, Thomas Sanchez, qui nihil fortè de peccatis impudicitiæ ſcripſit quod ſcribere neceſsè non fuerit ei, cujus finis, & quidem ſanctiſſimus, erat docere, quæ ſint in uſu matrimonii vetita, quæ permiſſa, quæ debita, eaque occaſione quæ ſint, & cujus pravitatis ſint peccata, ſuo, vel alieno corpore abutentium, cujus profectò ſcriptoris opus ſpiſſum non verbis, ſed rebus, non textibus inutilibus, ſed ſolidâ doctrinâ totus Orbis literarius rectè ſentientium laudat, & laudabilius facit vituperatio Dallæi, qui quamvis eruditum ſe faciat, fateri tamen cogitur, à ſe minime lecta, quæ in gratiam fori pœnitentialis ſcripſere Theodorus, Beda, Burchardus aliique veteres ſcriptores. Hos enim ſi legiſſet, eam Thomæ Sanchez notam inurere fortaſſe auſus non fuiſſet.

Sed hìc mihi propoſitum non eſt Caſuiſtam ullum peculiariter laudare, aut vindicare; ſed facultatem ipſam moralem, ut cœpit à quinque ſæculis tradi, utque tradita his potiſſimum duobus poſtremis ſæculis fuit à permultis Theologis, quorum libros perutites foro interno eſſe, ſatis, ut arbitror oſtendi, ut facere conſtitueram.

Nunc faciam quod non propoſueram, ſed quod

quod omittere non debeo, tum in gratiam optimæ facultatis, tum ut prҽſentem Eccleſiam cujus ea laus eſt, pluris ſemper æſtimes, ſemper ames magis: id enim mihi potiſſimùm propoſitum eſt. Oſtendam igitur, hanc facultatem, quoſque ejus nobiliores Profeſſores ſcrire libros, perutiles toti Eccleſiæ fuiſſe.

CAPUT X.

Oſtenditur, libris Caſuiſtarum auctam fuiſſe Eccleſiaſticam eruditionem, & Fidei doctrinam illuſtratam.

ID ut via faciliori, & jucundiori demonſtrem, oſtendam, quàm fuerit major in Eccleſiæ miniſtris eruditio, poſtquàm ſcribere cҽpere Caſuiſtæ; quàm indè fuerit in doctrina morum minùs erratum, & dubitatum. Quamvis enim id debeatur potiſſimum poſterioribus Synodis, & Pontificum Conſtitutionibus, per quas multa quæ erant ignota, vel dubia, fuere definita, & multa quæ erant obſcura, fuere declarata, debetur tamen etiam ſtudiis & libris Caſuiſtarum, ut ex iis, quæ hìc afferam, facilè intelliges.

Percurram Sacramenta, quorum adminiſtratio prҽcipua pars eſt Chriſtianæ diſciplinæ, & mo-

& modò tam certa, tam tuta, tam explicata beneficio utriuſque Theologiæ ſpeculativæ, & practicæ, qua pręſtare debent, & præſtant Caſuiſtæ, olim verò fuit apud multos adeo dubia, & controverſa.

1 Baptiſmum collatum ab Hęreticis repetendum non eſſe docuit Stephanus, definivit hoc ipſum poſtea Concilium Nicenum, quod ſolos baptizatos à Paulinianis, ſeu Samoſatenis iterum tingi voluit, quia, ut explicat Innocentius I. epiſt.22. cap.5. *Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minimè baptizabant*. Adhuc tamen egregii Doctores ita ſcripſere poſtea, ut ignoraſſe videantur Canonem Nicęnum, aut eum non ſatis intellexiſſe. Lege, cùm per otium licebit, initium primæ epiſtolæ Canonicæ magni Baſilii ad Amphilochium, cujus memini lib. 1. cap. 4. §.3. num.3. Lege etiam quæ id admirans refert Cabaſſutius in notitia Conciliorum poſt ſynopſim ſęculi tertii.

2 Videtur poſtea etiam à magnis Doctoribus dubitatum, non quidem de valore Sacramenti per hęreticos, aut malos homines miniſtrati, ſed de efficacia. Neſcio, an id ſignificare voluerit, aut potius referre quod alii docuerant, Auguſtinus dum lib. 3. de Baptiſmo cap.18. loquens de malis clavium miniſtris di-

cit,

cit, *remiſſam tamen peccatorum non dabant. Non enim raptoribus, & fæneratoribus diceret Deus, ſi cui remiſeritis, remittentur eis, ſi cui retinueritis, & tenebuntur.*

3 Putarunt aliqui ſic eſſe neceſſarium Baptiſmum aut aquæ aut ſanguinis re ipſa ſuſceptum, ut nunquam ſatis ſit ejus votum, undè actum putabant de anima Valentiniani Imperatoris mortui ſine Baptiſmo, cui tamen profuiſſe ejus votum fusè docet S. Ambroſius de obitu prędicti Imperatpris. Ut ſcias quid circa hoc ſenſerit S. Auguſtinus, lege lib.8.confeſs.cap.12. lib.9. cap.4. & præſertim quod ſcribit ad Fortunatum, & allegatur ab omnibus Canoniſtis, Polycarpo lib.3. tit.10. Burchard.lib.4. cap.16. Juone part. 1. cap. 211. Gratiano de Conſecr. diſt.4. ubi ſic. *Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus, excepto martyrio, ubi tota Baptiſmi ſacramenta complentur.* Fortè ſolùm ſignificavit, non eſſe *certò* credendum, mortuum Catechumenum ſalvum eſſe, excepto caſu martyrii.

4 Circa tempus, quo ſuſcipi Baptiſmus debet, quot opiniones fuere aut falſæ, aut non ſatis tutæ? Eum certè in multos annos differri licitè poſse, putarunt multi, ut omnes norunt, quin laudabilem quoque eſſe hanc dilationem,

videtur docuiſſe Tertullianus in lib. de Bapt. cap. 18. ubi docet, *pro cujuſque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate cunctationem Baptiſmi eſſe utiliorem*. Et paulò poſt addit. *Si qui pondus intelligant Baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quàm dilationem*. Fidus Africanus Epiſcopus putavit, ut conſtat ex 59. Cypriani epiſtola ad eum ſcripta, non debere baptizari infantem intra ſecundum, vel tertium diem ab exortu, veluti non ſatis à materni uteri ſordibus purgatum. Tribus poſt nativitatem annis expectandum putavit S. Gregorius Nazianzenus in orat. ad ſanctum lavacrum. *Quid verò* (inquit) *de infantibus qui neque quid gratia, quidve ſit pœna, cognoverunt, num & eos baptizemus? Maximè quidem ſi periculum aliquod imminet . . . De aliis verò conſilium do, ut triennium expectent, aut paulò minùs, aut plùs, ut quid myſticum audire, & reſpondere poſſint, & ſi non perfectè, attamen figuraliter intelligant*.

5 Ut autem Gregorius non ſatis probavit, quod infantes recens nati baptizarentur, ſic aliqui non probarunt, quod Baptiſmus conferretur ſtatim morituris, ſi culpâ ſuâ diſtuliſſent, aut ſaltem de hujuſmodi baptiſmi valore dubitarunt. *Non defuere ex antiquis* (inquit Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus

lib. 1.

lib. 1. cap. 1. art. 16.) *qui de Baptiſmo eorum qui in lecto perfuſi fuerant, validitate addubitaverint. Hujuſmodi dubium Cornelium Papam inceſſit, ut ipſe innuit in epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſeb. lib.6. hiſt. Eccl. cap.43. ubi agit de Novato, qui jam jam moriturus baptizatus fuerat (ſi tamen, inquit, hujuſmodi baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt.* Sed fortè Pontifex dubitavit de ſolo fructu Baptiſmi ab eo ſuſcepti.

6 Addit pręterea is Auctor, dubitatum de Baptiſmo ægrorum decumbentium fuiſſe etiam ſęculo ſexto, quo vixit Ferrandus Diaconus qui hanc ſuam dubitationem propoſuit Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi. Sed is non dubitavit de valore Baptiſmi illius, eo quòd eſſet eo ablutus ęger decumbens, ſed quòd eſſet miniſtratus ęgro ſenſibus deſtituto. Hęc tamen ipſa dubitatio non eſt digna Doctore. Afferam ejus verba, quæ eſſent etiam afferenda propter eruditionem, quam continent.

„ Religioſi cujuſdam viri famulus, Domi-
„ norum Fidelium diligentiâ, ſacramentis Ec-
„ cleſiaſticis imbuendus ad Eccleſiam tradi-
„ tur: fit ex more Catechumenus; poſt ali-
„ quantum nihilominus temporis propinquan-
„ te ſolemnitate Paſchali inter competentes
„ offertur, ſcribitur, eruditur: Univerſa quo-

„ que Religionis Catholicæ veneranda myſte-
„ ria cognoſcens atque percipiens, celebrato
„ ſolemniter ſcrutinio per exorciſmum contra
„ diabolum vindicatur, cui ſe renuntiare con-
„ ſtanter, ſicut hìc conſuetudò poſcebat, audi-
„ turus ſymbolum profitetur. Ipſa inſuper ſan-
„ cti Symboli verba memoriter in conſpectu
„ fidelis populi clara voce pronuntians, piam
„ regulam Dominicæ orationis accepit, ſimul-
„ que & quid crederet, & quid oraret intelli-
„ gens, futuro baptiſmati parabatur, cùm ſu-
„ bitò violentis invaditur febribus, & creſcen-
„ te lethali infirmitate turbatur. Perſuaſit die-
„ rum brevitas, ut ad fontem cęteris abluen-
„ dus differretur, ſive potiùs ſervaretur, &
„ quid pluribus immorer? Hora exoptata cun-
„ ctis advenerat . . . Tunc ille in extremo ha-
„ bitu conſtitutus ſine voce, ſine motu, ſine
„ ſenſu, nihil valens Sacerdoti interroganti
„ reſpondere, deferentium manibus adporta-
„ tur, & pro eo nobis quaſi pro infante reſpon-
„ dentibus, mente abſentiſſimus accepit Bap-
„ tiſmum, quem ſe accepiſſe poſt paululum
„ mortuus, in hac præſenti, arbitror, vita ne-
„ ſcivit. Quæro nunc, utrum, nihil ad ęternam
„ beatitudinem conſequendam vox ablata no-
„ cuerit?

Quis modò ex tam debili fundamento vo-

cis

cis amiſſæ, & ſenſus impediti dubitet de valore, aut de fructu prędicti baptiſmi, quem conſtabat eſſe collatum homini priùs ſic inſtructo, ſic præparato, cupidoque? Illa etiam verba notanda ſunt. *Perſuaſit dierum brevitas, ut ad fontem cæteris abluendus differretur*. Et cur non perſuaſit charitas, ut nihil differretur? Immo quomodo non obligavit charitas nihil differre, cùm jam ęger moreretur & Baptiſmum peteret, cùm præſertim Canones ipſi, qui Paſchales Baptiſmo dies deſtinaverant, periclitantes, quovis tempore baptizari præciperent; Certè nullus quamvis infimæ notæ Caſuiſta, dilationem quamvis breviſſimam permiſiſſet. Ferrandus tamen ea ætate doctus, ac doctor, religioni ſibi duxit, luſtralibus aquis extra illud tempus tingere jam jam moriturum.

7 Idem Ferrandus ſub finem epiſtolæ hanc aliam queſtionem proponit, *Utrum noceat, quantum noceat, an omninò nihil noceat, ſi quis baptizatus in nomine ſanctæ Trinitatis ſacro cibo, potuque fraudetur*, nempè Chriſti Corpus, & Sanguinem ſumere morte pręventus non poſſit? Quis modò non omninò rudis tam faciles queſtiones moveat? Et tamen hæc erant olim, cùm Caſuiſtæ nondum ſcripſerant, interrogata Doctorum.

8 His ſimilia fuerunt ea de quibus S. Gre-

gorium ex Anglia interrogavit S. Auguſtinus illius regni Apoſtolus, quæ quamvis non omnino pertineant ad Baptiſmum, de cujus adminiſtratione modò agimus, dividi tamen non debent. Fuerunt autem hæc inter alia. *An Clerici continere non valentes poſſent contrahere? An duo germani fratres poſſent duas ſorores accipere? Quot eſſent neceſſarii Epiſcopi in Epiſcopi conſecratione? Utrum prægnans mulier debeat baptizari; aut, poſtquam genuerit, poſt quantum tempus poſſit Eccleſiam intrare, aut etiam, ne morte præoccupetur quod genuerit, poſt quot dies hoc liceat ſacri Baptiſmatis ſacramenta percipere? Aut poſt quantum temporis huic vir poſſit in carnis copulatione conjungi? Aut ſi menſtrua conſuetudine tenetur, an Eccleſiam introire ei liceat, aut ſacræ communionis Sacramentum percipere? An vir ſuæ conjugi commixtus poſſit, antequam lavetur aqua, Eccleſiam intrare, vel etiam ad myſterium ſacræ communionis accedere? An poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, Corpus Domini quilibet accipere valeat, vel ſi Sacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare?* Hæc per ſe ſolvere nequiit Auguſtinus electus ex pluribus millibus Monachorum, ut eſſet Gentium Apoſtolus ac Doctor, diùque Romæ ad hunc finem eruditus, quæ modò beneficio Caſuiſtarum vix ullus ignorat.

9 Eidem

9 Eidem S.Gregorio viſus eſt quæſtionem valdè difficilem proponere Secundinus circa peccatum originale puerorum, qui ſine Baptiſmo moriuntur, petitam ex origine animæ quę, cùm ſit à Deo, non videtur poſſe contrahere culpam ex unione cum corpore, cui in malo non conſentit. Quam quidem quęſtionem ſolvit doctiſſimè S. Pontifex, ſed circa originem animæ dicit ea Epiſt. 53. lib. 7. Regiſtri, *Tua Charitas ſciat, quia de origine animæ inter Sanctos Patres requiſitio non parva verſata eſt; ſed utrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certè ſingulis detur, incertum remanſit*. Id modò non vocatur in controverſiam apud noſtros Doctores, & beneficio Theologiæ facilè intelligitur, & explicatur.

10 Annis poſt Gregorium ducentis ſupra quinquaginta reſponſum Bulgaris fuit, quoſdam ex ipſis habendos tanquam ritè baptizatos, *ſi in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti* fuerant baptizati. Poſt annos trecentos S. Bernardus Epiſt. 340. non eſt auſus dicere invalidum eſſe Baptiſmum puero collatum ſub hac forma *baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ, & veræ Crucis*: cumque in Diœceſi Claremontenſi quidam in forma Baptiſmi relinquerent illud verbum *Baptizo*, dubitavit Epiſcopus, an is Baptiſmus valeret, ut apparet ex

ejus Epiſt. quæ extat tom. 3. Bibliothecę Patrum ad Mauritium Pariſienſem Epiſcopum, & ad Stephanum S. Evertii apud Aurelios Abbatem; quodque peius eſt, is Abbas reſpondit, in forma Baptiſmi ea verba *Ego te baptizo* non eſſe de ſubſtantia Sacramenti, *ſed ſolùm de ſolemnitate myſterii*.

11 Circa materiam, & formam Confirmationis, & extremæ Unctionis, quàm olim (nec fortaſsè ſine periculo) aliquot Eccleſiæ variarint, dicam poſtea, & videri poteſt Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus.

Quàm autem Sacramenti Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ inſtitutionem, conſtitutionem, adminiſtrationem illuſtrarint Caſuiſtæ, eorumque libri, quos aliqui tam facilè deſpiciunt, intelligent ii, qui ſçiunt, quot olim in his irrepſiſſent errores, quàm damnabiles praxes.

12 Et quidem, ut aliquid dicam de Sacramento Euchariſtiæ, in aliquibus Eccleſiis infantibus recèns baptizatis infundebatur in os vinum verum, & naturale, ac ſi eſſet Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini, ut patet ex Rituali Eccleſiæ Remenſis id prohibente. *Summopere caveat Sacerdos, ne quemadmodùm perverſo uſu in quibuſdam locis fieri dicitur, vinum porrigat infanti poſt Baptiſmum, maximè utendo his verbis Corpus, & ſanguis Domi-*

Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.

In aliis, & quidem multis Eccleſiis ea Sacerdotum perſuaſio fuit, vinum per contactum Sacramenti conſecrari. Ex hac perſuaſione, ut videtur, antiquum Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria deſcribens ritus in feria ſexta Paraſceves obſervari ſolitos, *diviſa hoſtia* (inquit) *in tres partes, tertiam partem juxta conſuetudinem in calicem mittat, nihil dicens, ſic enim ſanctificatur vinum non conſecratum per Corpus Domini immiſſum.* Manuſcriptum Ordinarium Eccleſiæ Cuſentinæ à Luca Archiepiſcopo circa annum 1203. digeſtum deſcribens ritus Paſchales: *Accipiant Dominicum Corpus in Euchariſtiali reconditum, & ſuper patenam ponant, & in Calice vinum, & aquam fundant, & mox de Hoſtia Dominici Corporis in Calicem mittant, itaut vinum in ſanguinem conſecretur.* Eandem fuiſſe perſuaſionem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Uticenſis, & aliquarum Regni Gallicani conſtat ex earum Pontificalibus, ſeu Miſſalibus antiquis, quæ allegat prælaudatus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1. cap. 4. art. 10.

13 Nec pauciores fuerunt circa Sacramentum Pœnitentiæ, aut errores, aut abuſus, quorum aliqui poſtea fuere omnes novis Eccleſiæ con-

conſtitutionibus, aliqui diligenti Caſuiſtarum ſtudio ſublati. Multorum perſuaſio fuit, confeſſionem peccatorum non eſſe præceptam, ſatiſque eſſe confiteri ſoli Deo. Id aliqui docebant etiam tempore Gratiani, ut dicitur *cap. Quidam Deo* de Pœnit. diſt. 1. vel illi Greci fuerint, ut ibi dicitur, vel alii. Græcorum certè ille abuſus fuit, cujus meminit Arcudius de concordia Eccl. Occid. lib. 4. de Pœnit. cap. 2. & ego ex ipſo cap. ſuperiori. *Pontifices, & Sacerdotes Græci ferè nunquam confitentur. Quo eodem vitio laborant Ruſſorum Presbyteri, Græcorum videlicet velut hæreditario quodam jure in omnibus imitatores.*

14 Multorum quoque opinio fuit, valere confeſſionem factam Diacono, cum urget neceſſitas, & non adeſt Sacerdos, ut conſtat ex m. ſ. codicibus Eccleſiæ Gemmeticenſis, & Noviomenſis, & ex Concilio Eboracenſi anni 1194. ubi Patres, *Decernimus* (inquiunt) *ut non niſi ſumma urgenti neceſſitate Diaconus baptizet, & Corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat*, quod etiam in Synodis antiquioribus ſtatuitur. Pœnitentiam autem in neceſſitate imponens ſolebat ſtatim etiam abſolvere, ut concedunt omnes. An verò in his locis agatur de Confeſſione, & abſolutione, quæ crederetur eſſe ſacramentalis dubi-

dubitari poteſt. Videtur tamen certum, perſuaſum multis fuiſſe etiam tempore D. Auguſtini, debere in mortis periculo fieri confeſſionem laico tanquam habenti pro eo articulo reconciliandi, ſolvendique à peccatis poteſtatem, ut conſtat ex ſequenti facto, quod refert S. Doctor allegatus à Gratiano de conſecr. diſt. 4. cap. Sanctum. *Cùm in navi quadam Fidelis nullus eſſet, præter unum pœnitentem, cœpit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor ſalutis ſuæ, & ſacramenti vehementiſſimus flagitator, nec erat aliquis, qui dare poſſet, niſi pœnitens ille. Acceperat enim, ſed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam, amiſerat ſanctitatem, ſed non amiſerat Sacramentum. Nam ſi hoc amittunt peccantes, cùm reconciliantur poſt pœnitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat, & ne periculosè vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipſo, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret: & factum eſt. Naufragium evaſerunt. Cognitum habes quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut conſiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuiſſe. Motus enim animus religioſus, & ſupplex ab homine exegit Sacramentum: à Deo ipſe impetravit ſanctitatem.*

15 De-

15 Demùm, quod pariter pertinet ad hoc Sacramentum, ſacri ſigilli leges à Chriſto Domino inſtitutore Sacramentorùm conditas, à S. Leone I. in ea Epiſt. ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni explicatas, & ab Innoc. III. in cap. *Omnis uniuſque ſexus*, de pęnit. & remiſs. iterum inculcatas quàm illuſtrarunt Caſuiſtæ, quorùm doctrinam communem ſequentes nonnulla rejecimus in Cler. Rom. tanquam, aut nunquam facta, aut non ritè facta, quæ proindè malè ab aliquibus celebrantur tanquam verè facta ab univerſa Eccleſia, vel tanquam laudabiliter facta ab aliquibus Eccleſiis.

16 Jam verò de reliquis duobus Sacramentis, nempè de Ordine, & matrimonio agendum eſt, quorum aut Divinę, aut humanę leges paſſim latuere Sacerdotes ipſos, & Paſtores, qui præceſſere ſęculum tertium decimum, quo exorta eſt facultas Caſuiſtarum, quæ, ut ſupra monui, ex triplici ea diſciplinâ conflatur, nimirùm Canonicâ, Theologicâ, & Morali.

Sanctus Auguſtinus Epiſt. 110. fatetur ingenuè, à ſe, dum fuit Epiſcopus ordinatus, & à Valerio tunc Epiſcopo ſuo, ignoratum fuiſſe Canonem Nicęnum, vetantem duos eſſe ſimul ejuſdem Civitatis Epiſcopos. Nicęnum autem Concilium, nec uno integro ſęculo pręceſſit

Augu-

Auguſtinum. Idem S. Doctor (ut notat Cabaſſutius in notitia Conciliorum ad Concilium Arelatenſe quartum) Sardicenſem generalem Synodum, in qua Fides Catholica de Ariana hęreſi triumphavit, ignoravit prorsùs, ſolùmque illud Concilium Sardicæ coactum credidit, quod fuit conventiculum Arianorum. Si Canonem tanti momenti, tantùmque Concilium ignoravit Auguſtinus, non ità facile crediderim, non fuiſſe hæc & ſimilia ab aliis multis ignorata; cùm pręſertim tunc Eccleſiis pręficerentur ſępiſſimè, qui aut Neophyti erant, aut fuerant aulę, vel curię, vel etiam militiæ paulò ante addicti, ut oſtendam infra, nec Divino judicio, ut Ambroſius, ſed propria cupiditate, aut Principum ſua quærentium favore, ad infulas eveherentur.

18 Hinc ſępiſſimè, ut conſtat ex eorum temporum Conciliis, & Patrum id amarè deflentium ſcriptis, ſacris Ordinibus initiabantur multi, qui per ſacros Canones erant arcendi. Et quamvis id non rarò fieret ex contemptu regulę Canonicę non ignoratę, ſępè tamen fiebat ex vera Eccleſiaſticę diſciplinę ignoratione, ut patet ex epiſtola Siricii ad Himerium Tarraconenſem, in qua commemoratis multis hujuſmodi pravis Clericorum ordinationibus ſubdit, *& quia aliquanti, de quibus loquimur,*

ut

ut tua ſanctitas retulit, ignoratione lapſos eſſe ſe, deflent &c. Et paulò poſt. *Et quia in his omnibus, quæ in reprehenſionem veniunt, ſola excuſatio ignorationis obtenditur.* Ecquid tandem ignorabatur? Bigamos, alioſque hujuſmodi ordinari non poſſe. Id ignorabant multi Hiſpaniarum Epiſcopi. Sacerdotes autem non id ſolùm ignorabant, ſed quod modò nullus ignorat, nempè ſe vinculo caſtitatis obſtringi, putabant enim, ſibi id onus impoſitum non fuiſſe, aut nec imponi potuiſſe, eo quòd non fuerat antiquę legis Sacerdotibus impoſitum. *Plurimos Sacerdotes Chriſti, atque Levitas* (inquit Siricius eadem Epiſt. §. 7.) *poſt longa conſecrationis ſuæ tempora tam de conjugibus propriis, tam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus, ac miniſtris generandi facultas legitur attributa.*

19 Non ignorarunt quidem Patres Concilii Turonici primi legem caſtitatis impoſitam ſacris Miniſtris, ſed ignoraſſe videntur, non poſſe Concilium particulare legibus Eccleſiæ univerſalis quenquam abſolvere, ut fortè abſolverunt ipſi, permittentes, ut videntur, iis, qui jam erant Sacerdotes, aut Levitæ uſum conjugii, & ſolùm interdicentes proprii Ordinis

exer-

exercitium, aſcenſumque ad Ordinem ſuperiorem. Hæc enim ſunt verba Canonis. *Licet à Patribus noſtris emiſſa auctoritate id fuerit conſtitutum, ut quicunque Sacerdos, vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominica abſtineretur. Nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſtam conſtitutionem mollientes, id decrevimus, ut Sacerdos, vel Levita conjugali concupiſcentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non deſiſtens ad altiorem gradum non aſcendat, neque ſacrificium Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantùm, ut à communione non efficiantur alieni.* Igitur *non deſiſtentes* ad Communionem Dominicam admittebantur. Ergo *non deſiſtentes* minimè peccare putabantur, ergo erant ea lege à Patribus ſoluti.

20 Demùm quàm parùm compertæ fuerunt olim non populo ſolùm, ſed multis Doctoribus leges pertinentes ad matrimonium, conjugalis fidei probationem eamque continentiam, qua quiſque debet à quibuſdam voluptatibus abſtinere? Permittunt quidem jura in aliquibus caſibus poſt legitimum matrimonium divortium, ſeparatis autem conjugibus alias inire nuptias prohibent. Id tamen permiſere Chriſtiani Imperatores, ut conſtat ex C.

Juſti-

Juſtiniano tit. de repudiis. Et quamvis Barboſa ff. ſoluto matrimonio 2. par. rubric. num. 10. dicat, id ſolùm fuiſſe permiſſum ad impediendum majus malum, addit tamen, in veteri Eccleſia indiſſolubilitatem matrimonii non ita arctè fuiſſe intellectam, ut intelligitur modò, aliquoſque provinciales Epiſcopos putaſſe juſtam aliquam cauſam dari, ex qua liceat libellum repudii dare.

21 Hi provinciales Epiſcopi fortè fuere Patres Concilii Venetici celebrati in Galliis circa ann. 465. & Patres Concilii poſtea celebrati apud Vermerias. Illi ſiquidem inter morum corruptelas id recenſent, quod aliqui relictis propriis uxoribus tanquam adulteris, alias ducerent *ſine probatione adulterii*, quo videntur innuere, id licere ſi probetur adulterium. Hi verò, ut refertur in Decreto cap. Si qua mulier 31. quæſt. 7. ſic definiunt. *Si qua mulier in mortem ſui mariti conſiliata ſit cum aliis, & ipſe vir ſe defendendo aliquem illorum occiderit, ſi probare poteſt ille vir, eam ream eſſe conſilii, poteſt (ut nobis videtur) ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit, aliam ducere.* Id non licere cognovit quidem S. Auguſtinus lib. de Fide, & operibus cap. 19. ſed rem eſſe adeò obſcuram putavit, ut ejus ignorationem venialem vocet.

22 Ille

22 Ille etiam multorum error fuit, & fortè ex ſimili cauſa profectus, nempè ex legibus Imperatorum, quod, quia ab his non æquè vir adulter, ac uxor adultera puniebatur, liceret viris adulterium committere, quamvis uxoribus non liceret, quem errorem fusè redarguunt S. Gregorius Nazianzenus orat. 31. S. Auguſtinus lib. 2. de adul. conjug. cap. 8. & S. Hieronymus, qui in epitaphio Fabiolæ, *Aliæ ſunt* (inquit) *leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.*

23 Hunc errorem perſeveraſſe in multis etiam poſtea, conſtat ex S. Cęſario, qui hom. 16. ut poſtea dicam, eum diſpellere ſatagit, idipſum inculcans, nempè, quod fœminis non licet, nec viris licere. Ex eodem conſtat, etiam majoris Ordinis Clericos exiſtimaſſe ebrietatem culpâ carere, alios putaſſe, concubinatum præſertim ſolutorum licere, quem utrumque errorem, aut utriuſque erroris permiſſionem deflet Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis epiſt. 83. loquens enim de ſui temporis Sacerdotibus dicit, eos *aut neſciviſſe ebrioſitatem, & libidinem eſſe mortalia peccata, aut ſcire diſſimulaſſe.*

24 Illud autem magis mirabile eſt, ſęculo undecimo in florentiſſimi Regni Eccleſiis tam parùm fuiſſe comperta initi conſummatique matrimonii vincula, ut ab eruditis fuerit dubitatum, an viro liceret ab uxore diſcedere propter fornicationem ab ea ante matrimonium commiſſam, nec fortè defuerint qui id licere dixerint. Hanc quæſtionem propoſuit Radulphus Remenſis Archiepiſcopus Ivoni Epiſcopo Carnutenſi præclariſſimo ejus ævi Doctori, qui Epiſt. 188. ita reſpondet.

„ Quæſivit à me quod meliùs me novit „ veſtra prudentia, utrùm mulier, quæ poſt „ completa Sacramenta, & officia nuptiarum „ infra duos, aut tres menſes peperiſſe cognoſcitur, debeat propter fœdera nuptiarum „ in conjugio manere, an propter patratum „ ante nuptias flagitium matrimonii dignitatem amittere, cùm lex Moyſi hujuſmodi „ jubeat lapidari, ſuper qua rę non memini, „ me canonicam inveniſſe ſententiam. Dico „ tamen ſine PRÆJUDICIO MELIORIS ſententiæ, quia ſi ante celebrationem Sacramenti conjugalis cognita fuiſſet mulieris „ turpitudo, ſecundùm legum ſeveritatem, „ non eſſet honeſtanda matrimonio, ſed aſperis objurgationibus, tanquam lapidum jactibus ſevera ei eſſet adhibenda correctio. Ve-

„ rùm

„ rùm, poſtquam ſimpliciter præcedente con-
„ ſenſu contracta ſunt fœdera nuptiarum, poſt-
„ quam matrimoniales tabulæ datæ ſunt, &
„ cætera conjugii ſacramenta completa ſunt,
„ vir & mulier unum corpus per commixtio-
„ nem carnis facti ſunt, non intelligo, poſſe
„ diſſolvi conjugium, niſi divortii cauſa inter-
„ currat adulterium.

(Et poſt aliqua.)

„ Cum leges honeſtati conſulere debeant,
„ & ſaluti, TUTIUS mihi eſſe videtur, ut vir
„ mulierem quam duxit, licet neſciens impu-
„ dicam, retineat uxorem, quàm ſuo divor-
„ tio, & illam fornicariam, & ſe faciat forni-
„ catorem. Beati quoque Doctores noſtri Am-
„ broſius, & Auguſtinus hujuſmodi mulierum
„ lapſus ſuadent potius à viris debere dimitti,
„ quam diſtrictè, & ſine miſericordia judicari,
„ cum & ipſi viri vix poſſint à ſimilibus impu-
„ dicitiis immunes inveniri.

(Tandem in fine Epiſtolæ.)

„ Si verò aliter in aliquibus capitulis re-
„ pertum fuerit, ſeveritati diſciplinæ eſt ad-
„ ſcribendum. Sed ubi ſalus periclitatur, mo-
„ deratione legum ſaluti intelligimus conſu-
„ lendum.

26 Ex hac Epiſtola habes 1. Archiepiſco-
pum Remenſem non potuiſſe ex ſe reſpondere

 ei

ei quæſtioni, quæ nullam habet difficultatem; nec habere debet, cùm Chriſtus Dominus, Matth. 19. permittens fieri divortium propter fornicationem, loquatur de fornicatione commiſſa poſt matrimonium, adeòque de adulterio, non verò de fornicatione antea commiſſa.

Habes ſecundò, nec ipſi Iuoni viſam penitùs improbabilem ſententiam eorum, qui dicebant hoc divortium licere: nam dicit eſſe illicitum *ſine præjudicio melioris ſententiæ*; quod dicere non ſolemus, nec debemus, cùm putamus oppoſitum eſſe omninò improbabile: uti nec dicere ſolemus *tutius eſſe* rem aliquam non facere, quando putamus improbabile prorſùs eſſe quod liceat eam facere. Iuo autem dicit *tutius* eſſe non dimittere in allato caſu uxorem ante nuptias fornicatam.

Notanda ſunt etiam ea verba, *Cùm & ipſi viri vix poſſint à ſimilibus impudicitiis immunes inveniri*, Quod noſtra tempora non parùm commendat. Sed de hoc alibi.

27 Nunc unum ſubtexam ex eodem Iuone, quod clariùs fortè quàm puterita, demonſtrat, quàm nunc, beneficio Caſuiſtarum, ſint in doctrina morali magis inſtructi, qui vel brevem eorum Summam legerunt, quàm olim eſſent, poſt multorum Codicum lectionem, & ſtudium, egregii Doctores. Quamvis autem

quod

quod afferam, ad matrimonium, de quo modò agimus,non pertineat, pertinebat tamen ad eos potiſſimùm, qui erant matrimonio conjuncti, cùm unus erat alteri de fide violata ſuſpectus.

Legibus Longobardorum ſancitum fuiſſe ferunt, ut in accuſationibus criminum, præſertim violantium jura conjugii, cùm delicti,quod probari non poterat, fortia aderant indicia, compelleretur reus, aut aquæ ferventi manum immergere, aut tangere ferrum ignitum, aut incedere ſuper candentes vomeres, aut demergere ſe in aquam frigidam; &, ſi ab igne non lederetur, aut ab aqua frigida reciperetur, innocens haberetur; reus verò, ſi læderetur ab igne, aut aquæ frigidæ velut ab ea rejectus ſupernataret. Si id genus purgationis adhiberi non poſſet, litem dirimeret duellum, ac proindè eligerentur duo milites, quorum unus pro accuſato, alter pro accuſatore confligeret, eaque pars culpa vacare crederetur, cujus partis militi victoriam ſors, & virtus adjudicaret.

Illicita & intrinſecè malam eſſe hanc purgationem conſtat modò apud omnes Doctores, eamque ut talem interdicunt Canones Conciliorum, & definitiones Pontificum, inter quos Nicolaus, ut refertur in decreto cap. Monomachia 2. quæſt. 5. *Monomachiam in legem non*

aſſumimus, quam præceptam fuiſſe non reperimus, & paulò poſt. *Cùm hoc & hujuſmodi ſectantes, Deum ſolummodò TENTARE videantur &c.* Et Stephanus Papa V. ab eodem paulò ante allegatus. *Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent Canones, & quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, SUPERSTITIOSA adinventione non eſt præſumendum.*

Olim tamen Epiſcopi multi licere id genus purgationis putarunt, quodque mirabilius eſt, adhibendum cenſuerunt, & adhiberi voluerunt: nam Tribulienſes Patres an. 895. ſic ſtatuunt Can. 22. ut refert Gratianus in decreto. 2. quæſt. 5. *Nobilis homo, vel ingenuus ſi in Synodo accuſatur, & negaverit, ſi eum conſtiterit, fidelem eſſe, cum duodecim ingenuis ſe expurget, ſi antea deprehenſus fuerit in furto, aut perjurio, aut falſo teſtimonio, ad juramentum non admittatur, ſed (ſitut qui ingenuus non eſt) ferventi aqua, vel candenti ferro ſe expurget.* Servi enim potiſſimùm ad hanc purgationem adigebantur, indè dictam vulgarem; aut potius ut diſtingueretur à purgatione canonica per juramentum coram pluribus teſtibus ſuper quatuor Evangelia, aut ſanctorum Reliquias ſolemniter emiſſum. De qua purgatione

tione agitur apud Burchardum libro 1. cap. 194. & 196. & apud Iuonem in pluribus epiſtolis.

Is autem quamvis Epiſt.74.vulgarem purgationem reprobet, & in hunc finem afferat plura Pontificum decreta, in quibus ea pro nullo caſu admittitur, rejiciturque ut inventum populare profectum ex odio, & invidia, & ſuperſtitioſum, adhuc tamen Epiſt.152. ad Radulphum Rhemenſem Archiepiſcopum,uſurpari eam aliquando debere, docet. *Non negamus tamen, quin ad Divina aliquando recurrendum ſit teſtimonia, quando præcedente ordinaria accuſatione, omninò deſunt humana teſtimonia, non quòd lex hæc inſtituerit Divina, ſed quòd exigat incredulitas humana*; perindè ac ſi liceat tentare Deum ad revincendam incredulitatem humanam, quæ nec ſatis revincitur his oſtentis, utpotè quæ non ſemper præbent certum argumentum, ut ipſe idem monet Epiſt. 205. agens de quodam milite quem accuſatum, coactumque uti hoc genere purgationis ferrum candens uſtulaverat. *Cauterium militis* (inquit) *nullum tibi certum præbet argumentum, cùm per examinationem ferri candentis occulto Dei judicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes ſæpè damnatos.*

Nec facit ad rem exemplum & doctrina quam tradit epiſt. 252. petita ex juramento quod aliquando licet, quamvis Chriſtus Dominus Matthæi 5. dicat, *Ego autem dico vobis non jurare omnino*. Chriſtus enim non prohibet abſolutè juramentum ut quid ex natura ſua irreligioſum, & pravum, ſed abuſum jurandi temere, ut hic apud Cornelium à Lapide interpretantur Patres. At Canones, & Pontificum reſponſa, purgationem vulgarem prohibent abſolutè, ut quid pravum, ſuperſtitioſum, & irreligioſum, dum ſine ſpeciali Dei inſtinctu, & mandato exhibetur. Hinc idem Cornelius à Lapide loquens de Judæis, quibus juſſa fuit Numerorum cap. 5. purgatio delicti per aquam maledictam dicit, *Miraculo ſtato, & continuo olim apud Judæos explorabatur ſcelus adulterii*, ſubditque: *Simili modò apud Chriſtianos olim mulieres ſuſpectæ de adulterio ſe purgabant, tangendo ferrum candens, ſi ab eo non adurerentur, uti contigit ſanctæ Cunegundi. Quæ probatio cùm à Deo non eſſet inſtituta, ideoque eſſet Dei tentatio, jure à Canonibus eſt DAMNATA*. Igitur purgatio vulgaris, de qua loquimur, non debuit à Patribus Triburienſibus permitti, nedum præcipi, nec ab Juone pro ullo caſu approbari. At undè hoc lumen nobis affulſit? Certè non ex ſolis prædictorum Pontificum decre-

cre-

cretis, quæ non ignorabat Juo, ſed ex libris Caſuiſtarum, qui ea Pontificum decreta, & rem ipſam, ut reliqua omnia ſubtiliùs expenderunt.

28 Demum (ne ſim infinitus) ſi vis æſtimare pro merito, quantum obſcuritatis, & ignorationis depulerint recentes ſcriptores, iterum author tibi ſum, ut legas quas duodecim primis Eccleſiæ ſæculis fuere Doctoribus circa mores propoſitæ quæſtiones, ac dubia. Hæc enim duo deprehendes omninò 1. proponi ſubindè quæſtiones, quas modò ope Caſuiſtarum ſolvunt omnes, olim verò pauciſſimi poterant, & ideò cogebantur quotidiè conſulere non aliarum tantùm Eccleſiarum, ſed aliarum provinciarum, immo & regnorum Doctores 2. ea non rarò præberi reſponſa, quæ aut præberi non poſſunt, aut illis verbis præberi non poſſunt, ſed aliis, quibus ea præbent recentes Doctores, *iis* enim (ut notat S. Thomas opuſc. 1. in præfatione ad Urbanum Papam) *exorti circa fidem errores occaſionem dederunt, ut ea quæ ſunt fidei*, (idem dicendum de doctrina morum) *majori circumſpectione traderent*, ut tradiderunt ex eodem S. Doctore, qui ſubdit. *Et ideò non eſt mirum, ſi moderni fidei Doctores poſt varios exortos errores cautius, & quaſi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei*.

29 Illud

29 Illud etiam volo colligas ex iis, quæ leges ipſe, & ex me hactenus audiviſti, quàm falſa ſcilicet illorum perſuaſio ſit, qui putant ab iis qui volunt addiſcere doctrinam moralem, non eſſe conſulendos Caſuiſtas, ſed Scripturas & Patres, quos certè conſuluerat S. Auguſtinus Anglorum Apoſtolus tamdiù verſatus inter Monachos, quorum præcipua occupatio erat ſtudium Scripturarum & Patrum, conſuluerat Ferrandus Diaconus qui compendium Canonum ſcripſerat, conſuluerant Patres Venetici, Patres Triburienſes, Radulphus Archiepiſcopus Remenſis cum ejus ætatis Patribus Gallicanis non paucis, aliique, quorum reſponſa vel dubitationes ſupra propoſui, nec tamen in multis quæſtionibus didicerunt ex illis veram reſponſionem quam nos diſcimus ex Caſuiſtis. Hinc autem malè quis colliget, Caſuiſtas præferri Scripturis, & Patribus, aut in libris Caſuiſtarum contineri doctrinam magis certam, quam in Scripturis, & Patribus, ſed ab optimis Caſuiſtis tam multis meliùs eſſe intellectas Scripturas & Patres, quàm eas prædicti intellexerint, quàmque noſtrum quiſpiam intelligat, ac proindè non debere nos fidere intelligentiæ, & interpretationi noſtræ, ſed Caſuiſtarum præſertim celebriorum; quòd, ut vides, non eſt præferre Scripturis, & Patribus

Caſui-

Caſuiſtas, ſed noſtro judicio præferre judicium celebriorum Caſuiſtarum.

30 *Cler.* Occupaſti prudentiſſimè quod objicere poterant qui te audiunt aure non ſatis æqua. Unum videtur objici adhuc poſſe etiam à non infenſis, nempè erraſſe quidem aliquandò Doctores in quæſtionibus moralibus, antequam inciperent docere, & ſcribere Caſuiſtæ, ſed hos etiam erraſſe, immo, plures in horum libris errores reperiri, quam in illis, non igitur ex libris Caſuiſtarum tam ingens utilitas in Rempublicam literariam redundavit, nec fuerunt ab illorum libris errores depulſi.

Auct. Nec id aſſerui unquam, fuiſſe à Caſuiſtis omnes errores depulſos, ſed multos; & rursùs oſtendi, id lumen ab ipſis effulſiſſe, quò facilè ſolvimus innumeras quæſtiones, in quibus hærebant olim Doctores primarii. Quod autem dicis, hos erraſſe magis, nego. Erraruntt quidem aliqui ex ipſis, ſed fortè in eoſdem illos errores inciderunt priùs veteres aliqui Doctores; non enim ſcimus omnes antiquos errores, ſed pauciſſimos, cùm longè pauciores quæſtiones morales, quàm tractamus nos, tractarint antiqui Scriptores. Demum laudavi Caſuiſticam facultatem, eoſque Caſuiſtas qui in ea facultate præfulſerunt, qui aut errarunt nunquam, aut vix unquam, non autem eos, quo-

rum

rum non paucos errores Romani Pontifices juſtiſſimè confixerunt.

31 Sed vereor, ne hęc facultatis nobiliſſimæ defenſio accuſatio ſit audaciæ meæ, jam nimis abutentis patientiâ tuâ, & fuſiùs, quàm opus eſſet, in Caſuiſtarum laudes excurrentis: ſed quamvis ipſe non egeas tam multis, ut incipias de doctiſſimis viris ſentire pro merito ipſorum, indigent certè alii, nec pauci, qui hac noſtra ætate ſic de Caſuiſtis loquuntur, ut non ita obloquantur de fęce hominum peſſimorum. Horum calumniis diſpellendis fortè non erunt inutilia, quæ audiviſti. Proderunt etiam quæ affert Doctor præclariſſimus Ludovicus Abelly Epiſcopus Ruthenenſis in ſua quam inſtituit, ejuſdem Caſuiſticæ facultatis, & librorum qui ex ea prodierunt, apologia, adnexa libello quem inſcripſit *de Principiis Moralis Chriſtianæ &c.* quam velim omninò legas. Leges autem intra duas horas, cùm ſit paucarum paginarum diſſertatio.

Cler. Librum non habeo.

Auct. Nec habebam ego, primùmque habui hac die ipsâ delatum ad me ab amico meo non ignaro ſtudiorum meorum: nec adhuc potui totum legere: in ipſorum tamen capitum, ſeu articulorum titulis video tangi ab eo omnia, quæ dici hac ſuper re poſſunt.

Cler.

Cler. Oſtende quęſo.

Auct. Accipe, & lege titulos, nempè ſummarias partium inſcriptiones.

Cler. Ut video, eſt Gallicè ſcriptus. Gallicè non lego. Rogo, vertas in Latinum ſermonem hos, quos dicebas articulorum titulos, ut ipſe etiam pretioſum hoc poculum, quod humaniſſimè mihi propinas, ſummis ſaltem labris deguſtem.

32 *Auct.* Non abnuo. Sic tota diſſertatio inſcribitur. *Declaratio librorum, & opinionum Caſuiſtarum.* Sequentes autem ſunt tituli Articulorum, in quos Opus dividitur.

Articulus I. *Occaſio ſcribendi hanc diſſertationem.*

Artic. II. *Quid ſit ſentiendum generatim de Caſuiſtis, eorumque libris.*

Art. III. *Animadverſiones quædam circa conſilium, quod aliqui dant Confeſſariis, legendi ſanctos Patres, ut ex ipſis hauriant doctrinam moralem, ex qua conſcientiæ caſus expediant.*

Art. IV. *De Origine Caſuiſtarum, eorumque quos ſcripſere, libros.*

Art. V. *Qui Caſuiſtas rejiciunt, ac damnant, temere rejiciunt ac damnant multos ſanctos viros, quos Divorum honoribus Eccleſia colit.*

Art.VI.

Art. VI. *Ab his qui Caſuiſtarum libros damnant, privari Fideles maximo adjumento.*

Art. VII. *Iidem ſunt occaſio ingentium malorum, quibus grave damnum infertur animabus, & Eccleſiaſtica diſciplina perturbatur.*

Art. VIII. *Expenduntur quorundam quærimoniæ de nimio librorumn numero, quos edidere Caſuiſtæ.*

Art. IX. *Quod judicium ferendum ſit de Caſuiſtarum libris, ſi legantur in eis opiniones laxiores, quæ videantur morum laxitati favere.*

His novem Articulis totum Opus abſolvitur, nempè ſolis pagellis ſeptendecim.

Cler. Nolim audacior eſſe, at quando liber tam brevis eſt, poſſes hìc totum vertere, & mihi latinè recitare.

Auct. Id perlibenter faciam, ſed alibi, ubi iterum erit de hoc Doctore loquendum, vel in calce totius noſtri Operis; ne longiùs ab hujus libri propoſito divagemur. Redeamus igitur ad noſtros Canones Pœnitentiales, eamque tandem quęſtionem ſolvere aggrediamur, quæ eſt hujus ſecundi libri potiſſimum argumentum.

CAPUT XI.

An Canones Pœnitentiales fuerint conditi in gratiam dumtaxat externæ diſciplinæ.

1 CIrca finem Canonum Pœnitentialium eſt triplex ſententia. Prima Hæreticorum dicentium, eos à Patribus ſtatutos ad ſolam quandam diſciplinam externam, aut probationem, qua cognoſceretur, utrum qui deliquerat, & fuerat excommunicatus, mereretur recipi, & reſtitui. Philippus in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art. de Confeſſione, & ſatisfactione, *Scholaſtici viderunt* (inquit) *in Eccleſia eſſe ſatisfactiones, ſed non animadvertebant, illa ſpectacula inſtituta eſſe, tum exempli cauſa, tum ad probandum hos, qui petebant recipi ab Eccleſia. In ſummâ non viderunt eſſe diſciplinam, & rem prorsùs politicam: ideò ſuperſtitiosè finxerunt, eas non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere.* Joannes Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 39. loquens de pœnitentiis quæ per hos Canones à Patribus indictæ fuere, *Vocabant* (inquit) *ut plurimùm ſatisfactionem; non compenſationem, quæ Deo redderetur, ſed publicam ſatisfactionem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cùm in communionem recipi vellent, Eccle-*

cle-

clеſiam reddebant de ſua pœnitentia certiorem: indicebantur enim illis pœnitentibus certa jejunia, & alia, quibus ſe prioris vitæ verè, & ex animo pertæſos eſſe approbarent, vel potiùs priorum memoriam obliterarent, atque ita dicebantur non Deo, ſed Eccleſiæ ſatisfacere.

Secunda ſententia eſt multorum Catholicorum docentium, Patres intendiſſe quidem per hos Canones, non ſolùm externam diſciplinam, ſed internam expiationem delictorum, ut videlicet qui deliquerant per pœnitentias Canone ſtatutas conciperent majorem dolorem culparum, Deo ſatisfacerent, ſeque magis diſponerent ei plenariæ abſolutioni, qua tandem donabantur; non intendiſſe tamen, ut canonicæ pœnitentiæ à Confeſſariis in foro ſecreto imponerentur, & prçciperentur, ſed in foro externo, eo modò quo nunc in cauſis fidei à ſacri illius fori Judicibus, quos Inquiſitores dicimus, imponuntur, & in hoc ſenſu prçdictos Canones pertinuiſſe ad ſolum forum externum. Doctores id aſſerentes, qui non pauci ſunt, afferemus in tertio libro.

Tertia ſententia eſt pariter aliquorum Catholicorum dicentiùm Patres per eos Canones intendiſſe, ut pœnitentiæ ſtatutæ imponerentur etiam in foro interno, & arcano ſacramenti, atque ita imponerentur, ut prçciperentur, & exi-

& exigerentur, cum peragi poſſent, quamvis valdè contritis poſſent ex parte remitti. Hanc tueri videntur omnes, qui ab aliquot annis profitentur ſeveriorem doctrinam.

2 Quid ſentiam circa hoc, an videlicet debuerint in foro arcano illæ pœnitentiæ imponi dicam poſtea. Nunc ſolum ſtatuo hanc propoſitionem, & dico, Patres per eos Canones verè pœnitentiales non intendiſſe ſolam externam diſciplinam, ſed internam etiam curationem pœnitentis, ejus abſolutionem à culpis contra Deum commiſſis, & verè reſpexiſſe ipſum quoque forum arcanum ſacramenti.

Dixi per eos Canones verè pœnitentiales, & non purè pœnales: nam loquendo de illis propoſitio eſt magis certa.

Et quidem quod non intenderint ſolum externam diſciplinam, ſed etiam veram curationem pœnitentis, veramque delicti expiationem, ſic probo primò. Illud intenderunt Patres per hos Canones legeſque, quibus imponebant aut imponi jubebant eas pœnitentias, quod intendebant per ſuas conciones quibus inculcabant peccatoribus, ut peragerent eas pœnitentias. Id conceditur, & negari non poteſt. Sed in ſuis concionibus non hortabantur ad illas, amore ſolius diſciplinæ, & ut peccatores ſatisfacerent Eccleſiæ, ſed etiam, immo po-

tiſſimùm, ut ſatisfacerent Deo, & obtinerent veniam peccatorum, ut probat Cardinalis Bellarm. de pœnit. lib. 4. cap. 9. & ſeqq. allatis multis Patrum ſententiis ex innumeris quæ poſſunt afferri. Ergo &c.

3 Probo 2. Si intendiſſent ſolam externam diſciplinam & ut ſatisfieret Eccleſiæ, injunxiſſent ſolùm, ut peccatores peterent ab Eccleſia veniam, ut Eccleſiam placarent, non autem, ut placarent Deum, & veniam ab eo peterent, ſicuti ſemper & potiſſimum injungunt. Rursùs non exegiſſent à peccatoribus pœnitentiam internam, & contritionem, ſed ſolam emendationem commiſſi delicti, & ut peragerent injunctam pœnam, quod non fecerunt Patres eorum Canones auctores, qui adeò exigebant internam pœnitentiam, ut eos qui non præbebant certa ejus indicia non ſolùm non abſolverent, ſed nec admitterent ad pœnitentiam, iis verò, qui ſe verè contritos argumentis non fallacibus oſtenderent, onus impoſitum pœnitentiæ minuerent pro menſura contritionis: contritio autem, & cordis pœnitudo eſt ſatisfactio exhibita Deo, non autem Eccleſiæ.

4 Probo 3. præfixam concluſionem ex ipſis Præfationibus Conciliorum, vel epiſtolarum, vel conſtitutionum, vel librorum continentium hos Canones, in quibus manifeſtè Patres ſigni-

ſignificant, intendi quidem à ſe cuſtodiam diſciplinæ, non tamen ſolius externæ, ſed etiam, imò potiſſimùm internæ, qua Pœnitens curetur, ut tandem penitùs abſolvatur à Præſide pœnitentiæ; idque intendere debere Pœnitentes ipſos, & ideò ſe ſpontè illis ſiſtere, quibus (ut ait Sanctus Leo epiſtola 91. ad Theodorum Epiſcopum) *mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc dedit poteſtatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Poſſem plures hujuſmodi præfationes in medium afferre, ſed ſatis erit partes aliquas afferre ejus, quam legimus ante Excerptum, ſeu librum Pœnitentialem, in quo Gregorius III. colligit prædictos Canones pœnitentiæ. Et primò queritur Pontifex quod, ut ſupra dicebam, propter diverſitatem librorum pœnitentialium qui tunc circumferebantur, hærerent in judiciis Presbyteri, nec poſſent *ſubvenire iis qui concurrebant ad remedium pœnitentiæ*. In foro autem externo & foliùs diſciplinæ non fit iſte concurſus ſponte petentium ſibi pœnam infligi. Secundò nunquam poſtea mentionem facit, aut pœnæ, aut punitionis, aut Eccleſiaſticæ ſatisfactionis, aut aliorum hujuſmodi no-

 minum,

minum, quæ propria ſunt externi fori, & diſciplinæ, ſed internæ pœnitentiæ, ſeu contritionis, & curationis, qua animæ vulnera curentur. *Et merito pœnitentialis dicitur* (loquitur de iſto ſuo Excerpto pœnitentiali) *eo quod ſit pœnitentiæ conveniens. Pœnitentia autem dicta eſt à pœnitendo, quod ſcilicet aliquis corde pœniteat, & ſe peccaſſe CORAM DEO erubeſcat, quia Deo donante nihil poteſt contra nos Diabolus in ſua proficere nequitia, ſi puram volumus agere pœnitentiam &c. Et hoc animadvertendum eſt, quod ſi carnales medici contra infirmitates corporum diverſa conſtituunt medicamenta, quantò magis Sacerdotes Dei contra illicitos operæ carnis fructus innumerabilia medendi debeant recompenſare ſolatia.* Quod ipſum obſervandum eſt in Patrum Græcorum epiſtolis canonicis, in quibus impoſitio pœnitentiarum nunquam appellatur odioſis nominibus externi fori & ſoliùs diſciplinæ, ſed eo *curationis*. Hinc & ipſi, & Patres Latini in ſuis Pœnitentialibus vocant ſemper has pœnitentias *medelam animæ*, ſeu *remedia animarum*, & ipſos præſides pœnitentiæ Medicos vocant, eiſque ſemper inculcant, ut curent amanter, & cum miſericordia, ut hìc monet Gregorius. *Et maximè providendum* (inquit) *ut unicuique peccanti Domini adhibeatur miſericordia, quia*

ſcri-

ſcriptum eſt, fili in judicando eſto miſericors, (Tob.4.) *Unde & Apoſtolus, Judicium ſine miſericordia erit illi qui non fecit miſericordiam*. Jacob.2. Ubi autem intenditur ſola punitio delicti, & diſciplina, potiùs ſeveritas commendatur, moneuturque judices, ut ſtatutas pœnas infligant, nec earum ſeveritatem pro ſuo arbitrio temperent, quod adeò non monet hic Gregorius, ut potiùs moneat oppoſitum, nempè pœnitentias eſſe minuendas pro converſione pœnitentis, ut reliqui etiam monent Patres, quorum commune illud effatum affert, nèmpè *menſuram temporis in agenda pœnitentia magis in arbitrio Antiſtitum, vel Presbyterorum relinquendam, propter miſericordiam, quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quam doloris*. *Apud Deum* dixit, non verò apud Eccleſiam, quia videlicet id potiſſimum intendebant, ut Deo ſatisfieret.

5 Hinc probo hoc ipſum 4. Nam certum eſt, Auctores hujuſmodi librorum pœnitentialium non intendiſſe ſolam diſciplinam, ſed potiſſimum curationem pœnitentium in foro interno, & arcano Sacramenti, nam, ut norunt omnes, fuerunt ſcripti in gratiam interni fori, & ad dirigendum Confeſſarium, qui pœnitentem interrogatum de commiſſis delictis, confeſſum, & impoſita pœnitentia canonica, vel ali-

qua ejus parte perfunctum, aut perfungi ſe velle pollicitum, tandem donabat abſolutione non ſolùm pœnarum,ſed peccatorum,cujus proinde abſolutionis ritus, preces, & ſententiæ in fine predictorum librorũ deſcripti legebantur. Ergo hoc etiam intenderunt prædictorum Canonum authores; alioquin prorsùs ineptè inſcitèque horum Pœnitentialium librorum ſcriptores tranſtuliſſent in ſuos libros, & ad forum internum prædictos Canones pœnitentiales. Quid enim magis ineptum, quam transferre ad forum internum eas leges, quæ conditæ tantum ſint in gratiam externi?

6 Demum (ut potiſſimùm revincam eos Doctores Catholicos, qui dicunt, hos Canones pertinuiſſe ad ſolum forum externum) id ſi verum ſit, dicent Hæretici, in omnibus aut fere omnibus locis Patrum quæ afferri à nobis ſolent pro ſtatuendo uſu antiquo & precepto confeſſionis ſacramentalis, agi de ſola pœnitentia fori externi, vel ad hoc forum ordinatâ, nec ita facilè poterunt redargui, ut modò redarguuntur.Immo ipſi hinc ſument occaſionem negandi id forũ internum; nam ſi hi Canones non fuerunt conditi cum ullo reſpectu ad forum internum, nec ut per eos dirigerentur interni fori miniſtri, jam Patres nullos Canones condidere pro horum directione in judiciis delictorum;

non

non enim extant alii Canones quam prædicti. Quomodo autem fuit in Eccleſia veteri id forum, cui dirigendo nullus fuit Canon à Patribus ſtatutus, cum innumeri ſint in gratiam externi fori ab omnibus fere Conciliis, & à multis Doctoribus quâ editi, quâ indicti, quâ confirmati?

7 Igitur eſt omnino dicendum, prædictos Canones non pertinere ad ſolam diſciplinam, nec ad ſolum forum externum, quod confirmatur validiſſimmè ex eo, quod omnes præſertim antiquiores Caſuiſtæ hos Canones inſerunt tractatui, in quo diſſerunt de ſacramento pœnitentiæ, & de confeſſione ſecreta; putarunt igitur, eos ab hoc etiam forum pertinere, & fuiſſe in hujus fori gratiam ab antiquis Patribus editos, quod conſtat etiam ex eo, quod multa delicta per eos puniuntur, quæ nunquam deferuntur, & vix deferri poſſunt ad forum externum, ut legenti prædictos Canones conſtabit. Quæ profecto efficiunt, ut putem (quod innui ſupra) id quod hactenus probavi à nullo Doctore Catholico fuiſſe negatum, ſed hoc ſolum negatum à multis, quod ita prædicti Canones pertinuerint ad forum externum, ut compelli, & cogi ad eas pœnitentias Canone ſtatutas debuerint à Confeſſariis Pœnitentes, quod an fuerit jure negatum nunc expendam.

CAPUT XII.

An Canones Pœnitentiales ita ſpectarint ad forum internum, ut debuerint in eo imponi pœnitentiæ per ipſos ſtatutæ.

ANtequam ego dicam quid ſentio, volo, ipſe dicas quid ex iis quæ te toto primo libro, & hoc ipſo hactenus docui, colligas.

Cler. Videtur mihi manifeſtè colligi, debuiſſe imponi.

Auct. Unde colligis?

Cler. Ex pluribus capitibus.

Auct. Dic primum.

1 *Cler.* Primum eſt hoc ultimum, quod paulò ante dixiſti: nempè eos Canones ſaltem plerosque, quique propriè pœnitentiales erant, ſpectaſſe aut unicè ad forum internum, aut ad externum quidem, ſed etiam ad internum. Infero, ergo canonicæ pœnitentiæ debuerunt in eo imponi.

Auct. Hoc argumentum non eſt validiſſimum. Nam dicet aliquis, ſpectaſſe ad forum internum propter alios fines: & primò, ut Confeſſarius indè intelligeret, quæ peccata graviora eſſent, quæ minùs gravia; nam Canones majorem majori delicto pœnitentiam ſtatuebant. Secundò ut Confeſſarius id intelligens, majo-

majorem ipſe quoque pro gravioribus culpis penitentiam injungeret, quamvis non illam, quam Canones ſtatuebant. Tertiò, ut Confeſſarius advertens, à Pœnitente non ſatis æſtimari gravitatem ſcelerum commiſſorum, nec afferri animum ſatis promptum ad ſubeundum onus congruæ pœnitentiæ, eum moneret de vero Patrum judicio, quam gravi pœnitentia dignas illi pronuntiaſſent eas culpas, quas ipſe nihili faceret, & ideò vitare minime ſatageret.

2 *Cler.* At Canones non dicunt. *Qui adulterium commiſit eſt dignus tali pœnitentia*, vel *moneatur*, *ſi opus fuerit*, *dignum ſe eſſe tali pœnitentia* ſed, *qui adulterium commiſit*, *pœniteat tot annos*. Ergo non id ſolum intendunt, quod dicis, ſed ut imponantur verè illæ pœnitentiæ.

Auct. Addis vim aliquam argumento. Adhuc tamen dicent, Canonem habuiſſe eum ſenſum, vel hunc, *Adulter tot annos pœniteat*, *ſi velit in hac vita condignè ſatisfacere*, vel *ſi cum ingenti populi ſcandalo*, *& Eccleſiæ perturbatione peccarit*, & hoc modò fuiſſe uſu ipſo & praxi communi explicatos, Videtur obſtare caput 24. Concilii Moguntini, ubi ſic Patres. *Ventilata eſt ratio Pœnitentiæ*, *ut Sacerdotes certiùs intelligerent*, *quomodo Confeſſiones recipere*, *& pœnitentiam ſecundum Canonicam inſtitutionem pœnitentibus deberent indicare*, quibus

bus Patres videntur velle non ſolum, ut Canones ſciantur ad eos quos dicebam fines, ſed ut *pœnitentia ſecundum canonicam inſtitutionem* imponatur. Sed verè id ex eo capite non eruitur; nam Patres non dicunt, debere Sacerdotem imponere canonicam pœnitentiam, ſed *ſecundùm inſtitutionem Canonicam*, ideſt majorem, aut minorem pœnitentiam, prout majorem, aut minorem Canone ſtatui viderent, nempè ex aliqua directione Canonum. Præterquamquod Patres dicunt, debere Sacerdotes eam pœnitentiam *indicare* non verò dicunt, debere eam *imponere*.

3 *Cler.* At non videtur hæc fuiſſe mens Patrum, qui eos canones fecerunt, ſed ut verè illa ipſa pœna imponeretur, Cùm enim legerem Canones, quos primo libro attuliſti, animadverti, ſæpè Patres ſtatuere majorem pœnitentiam iis, qui eſſent ab aliis accuſati, & convicti, quod pertinet ad forum externum, minorem verò ſe ſpontè accuſantibus, quod pertinet ad forum internum. Sic facit S. Gregorius Thaumaturgus cap. 8. à te allegatus lib. 1. cap. 4. §. 2. & ſic S. Baſilius pluribus in locis ibidem §. 3. Eſt autem certum, ſenſum canonis, qua parte ſtatuitur pœnitentia denunciatis, & convictis, non eſſe eum quem dicebas, ut nempè eis indicetur pœnitentia, ſed ut imponatur,

natur, & ita imponatur, ut cogantur eam ſubire: ſic enim fit in foro externo, in quo puniuntur accuſati, & convicti. Ergo is etiam eſt ſenſus canonis qua parte ſtatuitur pœnitentia delictorum, cùm reus ſe ipſum accuſat. Utraque enim pars canonis pęnam ſtatuit eodem modo.

Auct. Ab hac difficultate ſe facilè expediunt, qui dicunt, hos Canones etiam qua parte imponunt pœnitentiam ſpontè confitenti, pertinere ad forum externum.

Cler. At accuſatio, & confeſſio ſpontanea non pertinet ad forum externum.

Auct. Id negant, & dicunt, dari duplicem confeſſionem ſpontaneam, unam quę fit Confeſſario, & hanc pertinere ad forum internum concedunt, alteram quę non fit Confeſſario, ſed Epiſcopo, aut alteri Judici, ut is mitiùs puniat, aut ad alios fines, & hanc pertinere ad forum internum negant. Conſueviſſe autem aliquos in veteri Eccleſia hoc modo confiteri Epiſcopo ſuo, conſtare dicunt ex eo Canone Concilii Africani, ſeu Carthaginenſis, qui refertur à Burchardo libro decimo nono cap. 127. *Ut ſi quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille poſtea negat, & pœnitere noluerit, non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quod illi ſoli non creditur*. Igitur Epiſcopus utebatur noti-

notitiâ habitâ ex confeſſione rei, & quidem eâ utebatur contra ipſum reum, ergo ea confeſſio quamvis facta ſpontè, ſacramentalis non erat, & hujuſmodi dicunt prędicti Doctores eſſe eam confeſſionem ſpontaneam, propter quam Sanctus Gregorius, & S. Baſilius minorem pœnitentiam imponi mandant in ſuis epiſtolis canonicis, quas lib. 1. allegavi.

Sed hæc reſponſio rejicienda eſt ex dictis. Quamvis enim non negem aliquando reum ſpontè confiteri extra Sacramentum, & ad ſolam impunitatem obtinendam, non eſt hujuſmodi confeſſio ſpontanea de qua agunt hi Patres, ſed verè Sacramentalis, facta ſolum ex affectu pietatis, & ex fervore contritionis, & ideò mandant imponi eis, qui ſpontè confitebantur, utpotè magis contritis, minorem pœnitentiam; non ſunt autem magis contriti, qui ſpontè confitentur ex ſolo amore impunitatis. Pręterea tota Eccleſia Gręca (ut conſtat ex ejus libris Pœnitentialibus) profeſſa eſt, ſequi ſe in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentię Canones Baſilii, quamvis benignè explicatos, ut ſupra dixi. Ergo putavit, eos eſſe conditos pro foro interno, ac proinde eam ſpontè confitentium confeſſionem, de qua agit Baſilius, eſſe Sacramentalem.

Igitur qui ſapiunt, aliter ſolvent argumen-

rum

tum propoſitum , ac dicent , eos Canones eſſe intelligendos pro conditione , ſeu natura fori , de quo loquuntur . Ubi dicunt pœniteniam eſse imponendum accuſatis, volunt verè imponi , & aliquando etiam cogi reos , quia forum externum hunc modum, & vim admittit . Ubi verò dicunt pœnitentiam eſse imponendam ſpontè confitenti , volunt imponi ſuaviter, & aut indicari , aut temperari pro diverſis circumſtantis , quia videlicet is modus decet forum internum,& voluntarium . Igitur ex hoc capite non obtines quod volebas . Profer jam aliud caput .

Cler. Ex aliis quatuor capitibus videtur evinci quod dicebam .

5 Et primò . Queruntur Patres in Conciliis , quæ ſupra allegaſti , uti etiam facit Gregorius III. in eo Excerpto,cujus non ſemel meminiſti , quod non imponerentur pœnitentiæ Canonicæ . Non queruntur autem , quod non imponerentur in foro externo , alioquin de ſeipſis , qui erant ejus fori Judices conqueſti eſſent , ergò queruntur , quod non imponerentur in foro interno , ergo in eo foro imponi illæ ipſæ debebant . quæ erant canone ſtatutæ .

Secundò . Ex iis,quæ lib.1.cap.9.diſſeruiſti circa redemptiones pœnitentiarum , conſtat eas non fuiſſe olim ſaltem ita frequenter , & ſtata lege uſitatas . Ergo olim verè impo-

neban-

nebantur, aut imponi debuerunt in foro interno pœnitentiæ canonicæ. Nam ſi imponi non debuiſſent, non erat cur, eis in dicto foro redimendis, illæ minores pœnitentiæ ſtatuerentur.

Tertiò. Ex iis quæ eodem capite dixiſti, habeo, conceſſam fuiſſe à Pontificibus per Indulgentiam, & Eccleſiaſtici theſauri erogationem prædictæ pœnæ canonicæ redemptionem, imò id eſſe Indulgentias Pontificias, nempè quaſdam redemptiones ejus pœnitentiæ, quæ debuiſſet ex canone imponi, & fieri. Ergo verè debuerunt imponi, & fieri.

Quartò. Ex tota ſeriè temporis, quod in eodem primo libro hujus tui Operis percurris, habeo, paulatim decreviſſe rigorem pœnitentiæ; nam poſteriora Concilia ſunt minùs ſevera prioribus, & omnes dicunt, antiquum rigorem deſiiſſe circa finem ſęculi duodecimi, & antiquam Eccleſiam fuiſſe valdè rigidiorem; & quidem in foro interno. Ergo verè debuerunt in eo prædictæ pœnitentiæ imponi, alióquin rigidior non fuiſſet. Hæc mihi fórtia videntur, at (ut quiſque facilè ſolet in rebus ſuis), fortè decipior.

6 *Auct.* Videntur quidem valida, ſed fortè non ſunt. Dicent enim, qui contrariam ſententiam ſequuntur, eos Patres queſtos tantùm fuiſſe,

fuiſſe, quòd nec in foro externo, nempè reis accuſatis, aut publicè atrociterque delinquentibus illæ pœnitentię imponerentur; nec ſequitur, quod conqueſti ſint de ſe ipſis: non enim omnes per eam nimiam indulgentiam peccabant: ex qua eadem ratione ſæpiſſimè Patres in Conciliis invehuntur in eos abuſus, qui erant Ordinis Epiſcopalis, ut quod multi diutiùs à ſuis ſedibus abeſſent, quod non ſatis caſtè, aut ſobriè viverent, quod indignos ad ſacros Ordines provehereut &c. quia videlicet hęc erant aliquorum, aut etiam multorum, non verò omnium peccata. Rursùs quamvis dicantur queſti Patres fuiſſe de nimia interni fori indulgentia, ut faciunt ea Cõcilia, quę nimiùm laxos codicillos, libelloſque pœnitentiales abjici mandant, aut etiam comburi: non indè ſequitur, voluiſſe, ut ſeveriſſimæ illę Canonum pœnitentiæ paſſim imponerentur, & exigerentur pro quovis delicto pro quo erant à canone ſtatutę, ſed ne nimiùm leves pœnitentiæ imponerentur. Sic innumeri etiam modò de nimia Confeſſariorum indulgentia queruntur (& benè queruntur; nam certè multi, & pluſquam multi indulgentiores ſunt) nec tamen iidem, qui hanc indulgentiam deflent, volunt, imponi modò à Confeſſariis canonicas ipſiſſimas eorum tot annorum pœnitentias.

Cler.

Cler. At Patres, de quibus loquimur, non queruntur utcunque de nimia indulgentia Sacerdotum, ſed quòd non imponerent pœnitentias ſecundum canonum inſtitutionem.

Auct. Nempè graves pro gravibus culpis: hoc enim potiſſimùm Canones injungebant; vel quòd nunquam eas imponerent, quas Canones ſtatuerant, iiſque etiam, qui atrocia delicta commiſerant, parcerent, ut paulò ante dicebam. Hęc non aſſeri ſine fundamento, intelliges poſtea.

7 Redemptiones autem, ex quibus conficis alterum argumentum, non videntur fuiſſe permutationes pœnitentiæ Canonicæ, quæ debuiſſet imponi abſolutè pro quovis delicto, ſed quæ debuiſſet imponi volentibus in hac vita ſatisfacere pro tota pœna, cum autem pauci poſſent, pauciſſimi vellent ita ſatisfacere, permiſerunt imponi pœnitentias minores: ne autem hæc permutatio majoris pœnitentiæ in minorem fieret arbitrio cujuſque, ſtatuerunt Patres eas leges redemptivas, per quas docerentur Confeſſarii quid imponere deberent illis, qui majores, nempè Canonicas pœnitentias peragere non poſſent, aut perdifficilè poſſent, aut acceptarent ægerrimè, nec peracturi viderentur, & peccata non ita atrocia commiſiſſent: nam his ignoſci facilè, nolebant.

8 Quia

8 Quia verò hæ ipſæ pœnitentiæ minores, quæ in locum majoris ſubſtitui initio cæperunt, erant adhuc valdè graves, & peccatores abſterrebant, nec illud ſolamen pœnitentibus afferebant, quod poterant afferre ſolæ majores, nempè veniam, & remiſſionem totius pœnæ, cęperunt Pontifices, ut magis allicerent ad confeſſionem, & pœnitentiam, frequentiùs indulgere, & utrùmque præſtare, nempè onus non admodum grave injungere, & oblato, ſeu ſoluto pretio ex theſauro Eccleſiæ plenam promittere nunc pœnæ debitæ pro uno delicto, nunc debitæ pro omnibus veniam, & remiſſionem. Fuiſſe autem Eccleſiam quovis tempore in aliquos indulgentem, jam oſtendi eo cap.9. lib.1. & colligere facilè poteris ex ipſa doctrina Canonicæ pœnitentiæ; ſiquidem ii ipſi Patres, qui eos tam ſeveros Canones fecere, vel eos collegerunt, & ardore ſingulari foverunt diſciplinam, laudant in Præſide pœnitentiæ miſericordiam, præſertim cùm Pœnitens affert verum propoſitum, & exhibet *ſummam Confeſſionem*, ut loquitur S. Baſilius eo Can. 74. ideſt cum ſponte confitetur, & nihil reticet. Igitur noluerunt Patres in hoc foro voluntario ſic arctari pœnitentes, ut non eſſet redemptioni, & indulgentiæ locus, nec per redemptionem, & indulgentiam fuit ſublata pœnitentia

Canonica, quæ debuiſſet imponi abſolutè, & ſemper, ſed aliquando abſolutè, aliquando ſolùm ſi peragi non difficillimè poſſet, aut vellet.

9 Nec indè ſequitur, Eccleſiam antiquam non fuiſſe ſeveriorem, ſed non fuiſſe adeò ſeveram, ut pro quovis delicto voluerit ſemper imponi abſolutè, & pœnitenti etiam reluctanti eas tam longas, & aſperas pœnitentias, quas Canones cuivis delicto vindicando, curandoque decernunt. Cęterùm fuiſſe ſeveriorem; & fortaſsè etiam longè ſeveriorem non abnuunt Doctores, quorum hic perſonam gero, eamque afferunt ejus majoris ſeveritatis cauſam, quam attuli ſupra cap.7. num.9. pag.99.

Addunt aliam. Voluit Eccleſia (inquiunt) velut experiri, an illa major ſeveritas eſſet utilis, quam quia non ſatis utilem experta eſt, & utiliorem eſſe in hoc foro voluntario benignitatem eſſe vidit, de ſua ſeveritate remiſit, & benignior effecta eſt. Eccleſiam autem experientiâ doceri, & ita doctam condere alios Canones, alias leges, docuit expræſse S. Auguſtinus de unico Bapt. cap. 3. *Ipſa Concilia*, inquit, *quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedunt: ipſaque plenaria ſępè priora*

ra à poſterioribus emendantur (non quod priora errarint, ſed quòd aliæ poſteriores circumſtantiæ, & ipſa rerum experientia ſuadeant eſſe mutanda, quæ priora Concilia decreverunt) *cùm aliquo EXPERIMENTO rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat ſine ullo typo ſacrilegæ ſuperbiæ*. Ita prædicti Doctores qui putant, Canonicas pœnitentias non debuiſſe in foro interno à Confeſſariis imponi.

Cler. Quid ergo fieri debuit ex lege Canonica? Debuit-ne Confeſſarius omnes abſolvere, eoſque omni onere ſubeundi Canonicas pœnitentias liberare?

Auct. Id fortè non dicent. Ego certè non aſſero.

Cler. Ergo debuit imponere pœnitentias Canonicas.

Auct. Nec id ita abſolutè aſſero.

Cler. Quid ergo facere debuit?

CAPUT XIII.

Quæſtioni in præcedenti Capite propoſitæ reſpondetur.

AUCT. Debuit id facere Confeſſarius, quod eſſet medium inter utrumque.

1 Dico igitur 1. Reſervaſſe Epiſcopos ſibi aliqua delicta, quæ proindè à Confeſſariis paſſim abſolvi non poterant. Hæc fuerunt illa, pro quibus agenda erat publica illa, & ſolemnis pœnitentia, ad quam admittere ſolus Epiſcopus poterat, & ſolus admiſſos in die Cœnæ Domini plenè reconciliare, ut in multis Conciliis ſtatuitur. Hunc morem reſpexit S. Auguſt. hom. ultimâ ex 50. dum hortatur eum, qui timet tale aliquod peccatum commiſiſſe, ut *veniat ad Antiſtitem, per quem in Eccleſia claves miniſtrantur*.

Hæc delicta ſic reſervata nempè in gratiam ſolemnis pœnitentiæ, erant aliqua magis enormia & publica, ut oſtendi in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 7. & infra magis conſtabit. Poſt quintum, aut ſextum ſeculum videtur conceſſa Presbyteris amplior abſolvendi facultas, & vix Epiſcopo reſervata ullius peccati venia, ſaltem in pleriſque Eccleſiis, hinc nihil de hac reſervatione in libris Pœnitentialibus, & valdè

pau-

paucos ipſe Epiſcopus in die Cœnæ Domini abſolvebat, ut dicetur infra.

2 Dico ſecundò, cùm delictum erat publicum, & ex illis, pro quibus in ea Eccleſia erat agenda publica pœnitentia, nec reſervata Epiſcopo ejus venia erat, Confeſſarius injungebat Pœnitenti publicam pœnitentiam pro conditione tamen perſonæ, vel delicti temperatam, vel jubebat eum adire Epiſcopum, & accipere ab eo eam pœnitentiam quam impoſuiſſet, juxta diverſam diverſarum Eccleſiarum conſuetudinem. Id colligo ex multis Conciliis (quorum meminit Iuo part. 15. cap. 9. 30. & ſeqq.) ſtatuentibus, ut Confeſſarii id onus imponerent pœnitentibus moribundis, qui ea delicta commiſerant, pro quibus erat agenda publica pœnitentia.

Hæc autem publica pœnitentia non ea ſemper debebat eſſe,quam Canones ſtatuebant, ſed ea quam pœnitens peragere non difficillimè poſſet, præſertim cum delictum non fuerat enormiſſimum, nec peſſimi exempli. Id infra probabo, oſtendens, non fuiſſe plerumque has Canonicas pœnitentias peractas.

3 Dico tertiò cùm delictum erat occultum, nec in externo foro probatum, non debebat Confeſſarius imponere abſolutè, & exigere, ſed proponere, & hortando ſuadere quando-

que Canonicam pœnitentiam, quæ ut poſtea oſtendam, ſecreta eſſe non poterat, ſed publica ſemper erat.

Hanc tertiam aſſertionem, quam ſolam fortè negabunt aliqui, probo nunc manifeſtis Patrum ſententiis, & Conciliorum decretis, probaturus poſtea argumentis ex ratione petitis.

4 S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 16. *Si quis occulta crimina habens, propter Christum tamen ſtudioſè pœnitentiam egerit, quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur?* ideſt, ſi ei poſt peractam pœnitentiam non permittitur accedere ad Altare, & communicare. Ea particula adverſativa *tamen* manifeſtè ſignificat, non conſueviſſe cogi reos occulti criminis ad pœnitentiam publicam, quæ multo ſtudio, & cęremoniis fiebat, quæque eam involuebat publicam Euchariſtiæ privationem.

5 S. Auguſtinus lib. de correp. & gr. cap. ult. *Sunt homines adulteri in domibus ſuis: in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus: nos non prodimus in palam, ſed in ſecreto arguimus, ubi contingit malum, moriatur malum.* His adulteris pœnitentias Canonicas non imponebat

bat

bat Auguſtinus,quamvis adulterium eſſet unum ex præcipuis delictis, Canonum ſeveritate caſtigatis. Cauſa hujus indulgentiæ non ea erat, quòd hi accuſati, & vocati ab Epiſcopo negarent, ſe deliquiſſe; de hoc enim nihil Auguſtinus, ſed ea, quòd delictum erat occultum, nec delatum ad forum externum,non enim ea uxorum accuſatio forenſis erat, ergo imponi pro delictis occultis Canonica pœnitentia non poterat.

6 Idem hom. ult. ex 50. *Nemo arbitretur fratres, propterea ſe conſilium ſalutiferæ hujus debere pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad ſacra Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat; multi enim corriguntur ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi neſciuntur. Nos verò à communione prohibere quenquam non poſſumus, quamquam hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſpontè confeſſum, aut in aliquo ſive ſęculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum.* Loquitur autem hìc Auguſtinus de ea confeſſione ſpontanea,quę non fit in foro interno, & ſecreto, ſed externo, nec fit ſoli Epiſcopo, ex qua nemo poterat ad publicam pœnam ſubeundam compelli, ut ſtatuitur in Concilio Africano, ſeu Carthaginenſi quod paulò ante allegavi in reſponſione

 ad

ad argumentũ,quod cap.præcedenti primo loco propoſuiſti. Hinc Juo ep.186. ſic recitat hunc ipſum locum Aug. *Nos à communione nullum ſuſpendimus, niſi accuſatum publicè, atque convictum, vel ſpontè confeſſum ſimiliter publicè*. Igitur confeſſus ſecretò ſoli Epiſcopo, ex prædictis Conciliis, ut ſupra expendi, ſuſpendi à communione non poterat, ergo ex cauſa fortiori non poterat ita ſuſpendi confeſſus in foro ſecretiſſimo, & ſacramentali, ergo non poterat is mulctari Canonicâ pœnitentiâ, quæ hanc ſuſpenſionem à communione, & quidem plurium annorum, ſubindè continebat, & alia onera graviſſima, & pnblica, quæ nullo prætextu poterant occultari, ut dicam.

7 S. Innocentius in epiſt. ad Exuperium cap.4. reſpondet, adulterorum ſive viri, ſive mulieris cauſam in Eccleſia parem eſſe, ſed viros adulteros non ita frequenter communione privari, adeòque nec pœnitentiæ Canonicæ ſubjici, quia non ita facilè mulieres viros adulteros, ac illas adulteras iſti accuſant, forenſi videlicet, & legitima accuſatione. Cum ergo *non habeant* (inquit S. Pontifex) *latentia peccata vindictam*, non eſt mirum, ea privatione communionis illarum tantùm non horum adulteria caſtigari. Cum verò lateant, & latere debeant, quæ quis in foro interno confitetur,

jam

jam non poterant Canonicâ pœnitentiâ, nempè privatione communionis, aliiſque gravibus, & publicis pœnis hujuſmodi delicta vindicari.

8 S. Leo idem docet, ut refert Hincmarus Remenſis in tract. de divortio Lotharii Regis, & Tetbergæ interrogat. undecima, ubi ſic diſertiſſimè meam ſententiam propugnat. *Neque libello ſecretæ confeſſionis porrecto publicæ pœnitentiæ quiſquam debet ſubmitti, nec per ſcripturam directam, vel ab alio porrectam valet condemnari, ſed unde publicè debet judicari, publicè, & in præſenti poſitus debet, aut convinci, aut confiteri. Ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum ſcripſit magnus Leo Papa dicens, In præſenti poſitus aut confutatus, aut certè confeſſus juſtæ poteſt ſubjacere ſententiæ, quia contrarium eſt rationi, eorum illos cernere pœnas, quorum non valent reſcire cauſas.*

9 Burchardus lib. 19 cap. 36. & Juo part. 15. cap. 53. hanc afferunt tanquam excerptam ex D. Auguſtino ſententiam, ſeu potiùs ex Conciliis ſecutis (ut mox oſtendam) Patres antiquos, & præſertim Auguſtinum, qui clariſſimè præ reliquis Patribus (ut audiviſti) hanc doctrinam tradidit. Verba recitata à prædictis laudatis Canoniſtis ſunt hæc. *Si quis inceſtum occultè commiſerit, & Sacerdoti occultè confeſſionem*

nem

nem egerit, INDICETUR ei remedium Canonicum, quod ſubire DEBUISSET, ſi ejus facinus PUBLICATUM fuiſſet. Verum quia LATET commiſſum, detur ei à Sacerdote CONSILIUM, ut ſaluti animæ ſuæ pro occulta pœnitentia proficiat, hoc eſt, ut veraciter & ex corde ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per jejunia, & eleemoſynas, vigilias, atque ſacras orationes cum lacrymis ſe purgare contendat, & ſic ad ſpem veniæ pro miſericordia Dei pervenire confidat.

10 Concilia autem, quorum (ut dixi) communis eſt hæc doctrina, multa ſunt. Agathenſe celebratum anno 506. id ſolum permittit Epiſcopo in ſecretis delictis, ut *reum ſecretis corruptionibus compungere elaboret*. Ejus verba refert Juo epiſt. 156.

Aurelianenſe paulò poſt celebratum, & relatum ab eodem Juone part. 13. cap. 43. ſic decernit. *Si quis publicam rapinam, & furtum fecerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta ſacrorum Canonum ſanctiones. Si verò occultè, Sacerdotum CONSILIO pœniteat.* Idem decernitur in Moguntino apud Burchardum lib. 19. cap. 28. *Diſcretio ſervanda eſt inter pœnitentes publicè, & abſconsè. Nam qui publicè peccat, oportet, ut publicè mulctetur pœnitentia, & ſecundum ordinem Canonum, pro*

meri-

merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur. Peccantibus autem abſconsè, non præcipi ſed indicari pœnitentiam canonicam debere, dicunt iidem Patres apud eundem cap.96. *Omnibus his actis ventilata eſt ratio pęnitentiæ, ut Sacerdotes certiùs intelligerent, quomodo confeſſiones recipere, & pęnitentiam ſecundum Canonicam inſtitutionem pœnitentibus deberent INDICARE.*

11 Idem alia quoque Concilia ſtatuunt, nec veluti moderando Canones antiquos, ut quidam parùm doctè putaverunt, ſed eos explicando. Non enim Canones antiqui id fieri voluerunt, quod injuſtè, & imprudenter fit. Injuſtè autem & imprudenter pro occulto delicto imponitur publica pœnitentia, ut Leo in textu allegato docet, & cum eo reliqui Patres antiqui, quos ſecutus Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap.21. *Publica peccata* (inquit) *ad pęnitentiam publicam, occulta ad privatam pertinent. Neque enim LICET peccatum occultum publicare.* (Ex pœnitentia autem publica ſaltem colligebatur ab intuentibus, grave aliquod peccatum fuiſſe à pœnitente commiſſum) & Suarius tom.4. in 3. part. diſp.38. ſect. 6. num. 3. *Communis opinio eſt, propter peccata occulta non debere imponi pęnitentiam publicam, quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam pęniten-*

nitentis. Quæ certiſſima perſuaſio fecit, ut innumeri præſertim poſt ſextum aut ſeptimum ſæculum moneant (ut rigidi ipſi Doctores fatentur) ne publica pro delictis occultis pœnitentia imponatur, omneſque Theologi in hoc conſenſerint, ut dicit Caſtropalaus part. 4. de ſacr. Pœnit. tract. 23. diſp. unic. punct. 21. §. 3. num. 5. *Si peccata ſecreta ſint, omnes conveniunt, injuſtiſſimè cogi Pęnitentem ad pęnitentiam publicam*. Quam eandem regulam, ut communem longè ante tradiderat Guillelmus ſummæ S. Raymundi interpres ſic enim titul. de pœnit. & remiſs. ad §. 6. *Aliquis poteſt cogi per excommunicationem ad ſuſcipiendam ſolemnem pęnitentiam, ſi ſponte non velit ſubire, dum crimen ſit magnum & publicum, & moveat ſcandalum, & quod pro occulto crimine imponi poteſt, ſi Pęnitens voluerit, aliàs non*.

Hanc igitur ſententiam tradidere Pontifices, Concilia, Patres, Caſuiſtæ veteres, recenteſque, omnes demum Theologi.

Ex eo autem quod pro delicto occulto pœnitentia publica præcipi nequierit, ſequitur, nec potuiſſe pro eodem imponi pœnitentiam canonicam. Id ſupra ſuppoſui magis, quam probavi, nunc probabo, & ſimul faciam, quod initio me facturum promiſi, addam videlicet argumento ex authoritate Patrum ac Theolo-

gorum

gorum petito alterum argumentum petitum ex ratione manifeſta, ex eo videlicet, quod nequit ſalva inſtitutione hujus ſacramenti, ſalviſque legibus prudentiæ, aliarumque virtutum, pro delictis præſertim occultis imponi in foro interno, & ſecreto canonica Pœnitentia.

12 Ut id oſtendam, recolenda, aut prænotanda ſunt aliqua. Et primò, pœnitentiam per Canones impoſitam fuiſſe publicam, ut modò dicebam: nam per aliquot ſæcula peragenda fuit aut ante porticum Templi, aut pro foribus, aut in angulo Templi, aut in alia parte Templi conſpicua cum inſignibus, notiſque propriis pœnitentiæ, quarum aliquæ manſerunt ſemper, etiam poſtquam fieri deſiit ea ſtationaria pœnitentia: nunquam enim canonicè pœnitentibus fuit permiſſum accedere ad Altare cum reliquis Fidelibus aut communicantibus, aut ſaltem offerentibus. Omnes aut fere omnes ad minimum jubebantur viginti, triginta, aut quadraginta dies continuos in pane & aqua jejunare; plerique annos plures in luctu, & ſacco, vigiliiſque tranſigere, quæ profectò occultari non poterant, nec tandiù, eoque modo, & ordine ab alio quam à pœnitente propter gravia delicta peragi ſolebant. Certè juncta cum aliis indiciis erant argumenta certiſſima injunctæ pro gravibus culpis pœnitentiæ.

13 Se-

13 Secundò recolendum eſt, Canones ſtatuiſſe longas, & graves pœnitentias non ſolùm pro graviſſimis delictis, ſed pro gravibus omnibus externa actione commiſſis, immo ſubindè nec pro delictis, aut vix delictis: nam etiam homicidium ex juſta cauſa commiſſum, aut fortuitum plurium annorum pęnitentiâ expiandum erat; ei verò qui *neglexiſſet infirmos, aut in carcere detentos inviſere, ipſiſque inſervire, diebus decem in pane, & aqua jejunandum erat, decem ſimiliter diebus ei qui plus comediſſet, aut bibiſſet, quam ipſe facere conſueviſſet; quadraginta verò diebus ei qui carnem, aut morticinam, aut dilaceratam à beſtiis comediſſet*, totidemque diebus ei, qui ſe ab uxore ſua *tempore Quadrageſimæ, aut in pervigiliis, præcipuiſque feſtis Sanctorum non continuiſſet*. Hos Canones apud Burchardum alioſque veteres collectores reperies.

Tertiò recolendum eſt, pœnitentiam impoſitam per Canones fuiſſe valde longam, & aſperam. Nec certè ſine horrore audiviſti lib. 1. hujus Operis ejus deſcriptionem, nuditatem, ſquallorem, luctum, ſegregationem ab Altari, à precibus, à Templo, à conviviis, à ſpectaculis, à voluptatibus omnibus, jejunia, vigilias, peregrinationes, exilia, aliaque hujuſmodi vix non ipſa morte pejora.

14 Quar-

14 Quartò notandum eſt, Canones pœnitentiales fuiſſe quidem initio perpaucos, poſtea verò innumeros; tum quia tandem fuit omnibus delictis ſtatuta per Canones pœnitentia, eaque diverſa pro diverſitate delictorum, quæ ſunt ferè innumera; tum quia multi Canones dirigebant unam & eandem pœnitentiam, cum eadem multas partes haberet, & unaquæque pars ſuum Canonem. Ex gr. præter eum Canonem, quo homicidæ imponebatur ſeptennis pœnitentia, alio Canone eadem pœnitentia in tres partes dividebatur, alio ſtatuebatur quo modo primo anno pœnitendum erat, alio quo ſecundo, & tertio, alio quo reliquis quatuor, ut ſupra deſcripſi, quibus poſtea additi fuere innumeri alii Canones redemptionum, quo factum fuit, ut in ſingulis delictis dubius hæreret animus Judicis, nec poſſet niſi poſt multum tempus, multùmque laborem, multorumque Canonum ſtudium, vèl pro unico delicto Canonicam imponere pœnitentiam, ut hæſit ille Confeſſarius, cujus meminit Petrus Damiani lib.6. epiſtolarum epiſt.32. & ego ex ipſo in Cler. Rom. lib.1. diſp.12. num.4.

His ad tuam memoriam revocatis, ex ſingulis oſtendo, non debuiſſe ab Eccleſia in foro ſecreto pœnitentiæ pro delictis præſertim occultis, imò nec paſſim, & ſemper pro publicis

impo-

imponi, & præcipi Canonicas pœnitentias.

15 Ex eo enim quod pœnitentia ſtatuta per Canones ſemper, aut ferè ſemper publica eſſet, ut oſtendi, ſi ea pro delictis etiam occultis imponi debuiſſet, ex Confeſſionis Sacramentalis uſu hæc mala plerumque eſſent exorta. Primò infamia confitentis, quem in grave aliquod delictum fuiſſe prolapſum, certo argumento fuiſſet genus ipſum pœnitentiæ, quæ pro ſolis gravibus imponebatur. Secundò ſcandalum, quod ſolet oriri ex notitia commiſſi peccati, quodque longè magis incitat alios ad peccandum, quàm ad amorem virtutis incitet ipſa peccantis pœnitentia, cum præſertim qui peccavit, authoritate cæteris præeſt, debuiſſetque aliis virtutis exemplo præire, ut certè multi publicè pœnitentes fuiſſent. Tertiò ſuſpiciones innumeræ, & quæ ex his oriri ſolent, temerè concepta judicia de factis alienis, interpretationes malignæ, odia, ſimultates, perturbatio demum totius Reipublicæ. Cùm enim ex publica pœnitentia ſpecies peccati colligi non poſſet, ſed ejus ſola gravitas, jam (ut maligniſſimus in pleriſque eſt timor, & amor) prædicta uxorum, filiarum, ſervorumque pœnitentia argumentum maritis, parentibus, dominis facilè fuiſſet aut fidei, aut virginitatis, aut juſtitiæ violatæ. Quartò odium in ipſum

Sacra-

Sacramentum, quod horum, aliorumque malorum cauſa haberetur: odium autem Sacramenti omnes ab eo avocaſſet, & præterea peperiſſet odium, & contemptum Religionis, iſthæc curandis malis remedia proponentis, & quandam in ſubjectos populos tyrannidem exercentis. Demùm injuria maxima Sacramenti contra ejus inſtitutionem adminiſtrati. Ut enim contra hujus Sacramenti leges, & inſtitutionem feciſſet Eccleſia, ut docet S. Leo in ea celebri ad Epiſcopos per Samnium, Campaniam, & Picenum conſtitutos, ſi pœnitentes coegiſſet occulta peccata publicè confiteri, ita contra eandem feciſſet, ſi eoſdem coegiſſet publicè pro delictis occultis pœnitere, cum ex utroque redundet infamia pœnitentis, ſcandalum Fidelium, ſimultates, diſcordiæ, domorum, & Urbium perturbatio, odium tandem, & quidem ingens Sacramenti, neutrum ergo facere unquam debuit Eccleſia. Ergo Canonicæ pœnitentiæ non debuerunt imponi, & præcipi in foro interno, & ſecreto.

16 Ex eo quod pœnitentiæ Canonicæ diſciplina tot Canones complectebatur, alios quibus pœnitentia tanti temporis ſtatuebatur, alios, quibus eadem ſic diſtribuebatur, alios quibus ſic temperari, ſic minui, ſic redimi, ſic relaxari poſſet; ſi pro omnibus delictis hæ re-

gulæ ſervandæ fuiſſent, infinitus labor tolerandus fuiſſet à miſeris Confeſſariis, & circa unum Pœnitentem innumera judicia, eaque plena laboris inſtituenda, & variæ pœnitentiæ cum ſuis diverſis regulis imponendę, una pro homicidio ex mandato domini, & ex metu commiſſo, eaque ſic facienda tot annis, tot quadrageſimis per annum, tot feriis per hebdomadam; alia pro homicidio ex negligentia, & caſu aliquo commiſſo, eaque hoc & illo modo facienda; alia pro perjurio, eaque ſic facienda primo anno, ſic reliquis annis; alia pro furto ex cupiditate, eaque ſic adimplenda, alia pro furto ex aliqua neceſſitate, alia pro mollitia, alia pro tactu inhoneſto; demùm tam multa, eaque tam diverſa fuiſſent injungenda, ut vix unus tota die pœnitens fuiſſet auditus, ejuſque judicium abſolutum; Quo ſanè modo deterrendis, fatigandis, occidendiſque Pœnitentibus, & Confeſſariis aptiſſimo noluit hoc Sacramentum adminiſtrari Chriſtus Dominus, qui ſic inſtituit remedia neceſſaria, ut noluerit ea difficillimè comparari, adhiberique.

17 Ex eo quod pœnitentiæ Canonicæ, adulteriis homicidiis, perjuriis, aliiſque hujuſmodi delictis puniendis ſtatutæ, erant tam aſperæ, tam luctuoſæ, tam longæ, infero, eas non debuiſſe imponi, & exigi in foro ſecreto

Pœni-

Pœnitentiæ; alioquin Eccleſia veniam negaſſet omnibus adulteris, omnibus homicidis, omnibus perjuris, aliiſque innumeris, eiſque vix in morte eam indulſiſſet: ſiquidem negare cenſetur veniam, qui eam paratu difficillimam facit. Quàm autem difficile erat homini vitiis, ut horum plerique ſunt, innutrito, plures annos coram cognatis, amicis, ſociis, ſubindè irridentibus, digito notantibus, ante fores Templi in ſacco & cinere deflere; alios inde annos in porticu Templi, aut in ejus angulo manere ſimul cum Ethnicis, à Fidelibus ſegregatum; alios poſtea in medio Templo orare proſtratum humi, jacentemque, advoluere ſe pedibus Sacerdotum, veniam petere demiſſiſſimè, & interim publicis omnibus muneribus, ſpectaculis, conviviis, omnique fere hominum conſuetudine abſtinere, ſolo pane plerumque veſci, temperare vino, ſomno non indulgere, Deum perpetuò, & homines exorare. Experire modò, & veniam promitte adulteris, hac lege impoſita, ut priùs hanc, quam deſcripſi, vitam per ſeptem, aut decem annos in ſacco, & cinere lugentes tranſigant. Quot, putas, adulteri tot annorum receſſum, fletum, pudorem, jejunia tolerabunt, & veniam referent? Crede mihi, audita lege, recedent omnes, aut fere omnes, & deſperabunt.

Cler. Dicent, meliores fuiſſe veteris Eccleſiæ Fideles.

Auct. Fuerint (quod an verum ſit, ſcies ex iis, quæ dicam infra) fuerint meliores multi. At hi qui meliores fuere, non fuerunt adulteri, fures &c. De his modo loquimur, de veteris Eccleſiæ adulteris, furibus, homicidis, & perjuris: hi meliores non fuere adulteris, furibus, homicidis noſtrorum temporum, ſed pates utrique, imò pejores illi, utpotè tam mali inter Fideles tam bonos, & longè (ut dicunt) nobis meliores. Igitur his omnibus, aut ferè omnibus veniam vetus Eccleſia denegaſſet, & ægros à remediis neceſſariis, contra eorum inſtitutionem, & Chriſti Domini exemplum avocaſſet.

18 Ex eo tandem, quod fuerant ſtatutæ pœnitentiæ valde graves, longæque pro gravibus omnibus delictis, externa actione commiſſis, imò etiam nec delictis, aut vix delictis, ut ſunt illa, quæ num. 13. commemoravi, ſi hæ debuiſſent in foro interno imponi, debuiſſent omnibus hominibus, aut ſaltem pleriſque, certè quamplurimis imponi; cùm plerique, certè quamplurimi hæc delicta, & vix delicta, aut nec delicta committerent. Si autem debuiſſent pleriſque, aut ſaltem quam plurimis imponi, fuiſſent impoſitæ de facto, & rursùs fuisſent

ſal-

ſaltem plerumque à Pœnitentibus peractæ, alioquin non is, qui dicitur, in veteri Eccleſia fuiſſet amor pœnitentiæ, ac diſciplinæ. Igitur plerique fuiſſent de numero pœnitentium, plerique, ſaltem quam plurimi, in ſacco, & cinere præ foribus Templorum planxiſſent, plerique jejunaſſent, plerique ea quæ recenſuimus ſupra, peregiſſent. Hos autem qui iſta facerent, fuiſſe pauciſſimos, omnia antiquitatis monumenta teſtantur, ut oſtendam infra, & colligi poteſt ex iis, quæ ſcripſi in Cler. Rom. lib. 1. diſput. 8. & 9. ubi idem argumentum contra Jveninum propoſui, ſi benè meminiſti.

Cler. Memini certè, ſed memini quoque multos fuiſſe ea tua propoſitione offenſos, quod nempè *pauciſſimi ſint, qui diù lethali culpa careant*, unde colligebas, quod modò infers, debuiſſe videlicet fere omnes ſubjici Canonicæ pœnitentiæ, ſi hæc pro quibuslibet peccatis etiam occultis debuiſſet imponi.

Auct. Ecqui ſunt iſti multi ea propoſitione offenſi?

Cler. Non eſt, cur nominem omnes; nam pro omnibus loquitur unus, nempè auctor libri, qui nuperrimè contra tuum Clericum Romanum ex Belgio prodiit in lucem. Is enim pag. 300. fusè prædictam tuam propoſitionem impugnat, ut *Sacris litteris, toti traditioni*,

Scholaſticæ Theologiæ, *& bonæ fidei*, *& ſpei Chriſtianis adverſam*, & inſuper ſcandaloſam, utpotè quæ, ut ipſe dicit, viam aperit omnibus, ut liberiùs, & ſecuriùs in lethales culpas identidem cadant.

CAPUT XIV.

Auctor obiter, & oblata occaſione duas propoſitiones in alio ſuo libro contentas vindicat.

1 AUCT. 1. Dic, ambo te, ubi nam ſacræ litteræ agunt de moribus, & de vita, quam Fideles degunt? ubi de his Traditio? ubi Theologia?

Cler. Non agunt quidem de his, ſed ea dicunt, unde colligit is auctor, non eſſe pauciſſimos eos Fideles, qui diù ſervant innocentiam.

Auct. Cur ergo declamant ſemper rigidi Doctores in mores Fidelium penitùs corruptos, perindè, ac ſi non pauciſſimi ſolùm, ſed vix ullus careat unquam, nedum diù, lethali peccato? Certè Merbeſius in Summa Chriſtiana tom. 2. pag. 125. colum. 1. edit. Pariſ. non dubitat aſſerere, *pleroſque eſſe ad eam cæcitatem redactos, ut non ſolum atrociſſima quæ-*

que

quæ flagitia non perhorreſcant , ſed quod eſt ſupra fidem , ne ipſa quidem inter flagitia recenſenda eſſe pervicaciſſimè contendant . Quàm majus hoc eſt, quam quod ego dixi ? Nec unius Merbeſii perſuaſio hæc eſt,ſed aliorum quoque, quos dicebam . Hanc animi ſui ſententiam expromunt ſemper , dum ſcribunt , hanc dum loquuntur . Hæc eos impellit, urgetque ad ſuam ubique doctrinam propagandam . Volunt (inquiunt) communi malo mederi , quo inficiuntur omnes , omnes ad interitum pertrahuntur . Experire quæſo . Adi illos,inſere ſermonem de moribus , de Doctoribus horum temporum , audies triſtiſſimas querimonias .

Cler. Expertus ſum millies , ſemper tamen laudant Fideles Eccleſiæ vetuſtæ , quos tu vidèris carpere voluiſſe ; nam ibi loqueris de veteris Eccleſiæ publicis pœnitentibus, in quorum numerum debuiſſe ferè omnes Fideles referri , dicis ; ſi quotquot graviter peccabant , publicæ pœnitentiæ legibus ſubjici debuiſſent . Præterea non negabit is Auctor , pauciſſimos eſſe , qui graviter non peccent unquam , at negabit , pauciſſimos eſſe, qui poſt obtentam gratiam , & juſtitiam diù in ea perſeverent : nam ſcripturæ ſemper repręſentant juſtos tanquam in ſua juſtitia perſeverantes : multa autem hujuſmodi loca ſcripturarum affert .

Auct. Quæ videlicet ad rem de qua agitur, nihil faciunt. Et quidem dum dicit, ex Scripturis juſtos perſeverare in ſua juſtitia, vel dicit, omnes qui ſemel juſtificati ſunt, eſſe ſic conſtantes, vel fere omnes, neutrum autem dici poteſt, cum ex Scripturis habeatur, donum finalis perſeverantiæ non ſolum non eſſe omnium, qui ſemel juſtificati ſunt, ſed nec fere omnium. Præterquamquod experimur innumeros labi poſt adeptam, ut credere debemus, ſaltem in Baptiſmo juſtitiam; Certè Scripturæ teſtantur, innumeros lapſos fuiſſe de populo Hæbreo, qui ſalſem in circumciſione fuerant gratia donati.

2 *Cler.* Dicet, ſaltem adultos in gratiam reſtitutos in ea perſeverare, vel non ita multos relabi, vel, ſi relabantur, non labi ſæpè, ut videris aſſerere dicens, pauciſſimos eſſe, qui diù peccato mortali careant, qui enim non caret diù peccato mortali, ſæpè labitur.

Auct. At ea loca Scripturæ, in quibus Juſtus deſcribitur tanquam propoſiti tenax, non diſtinguunt inter juſtum qui gratiam Baptiſmalem peccando non amiſit, & juſtum, qui gratiam amiſſam recuperavit, nec eſt, cur diſtinguant, cùm eadem ſit utriuſque juſtitia, utraque ſupernaturalis, utraque infuſa. Nec ſimiliter diſtinguunt inter eum qui labitur

ſemel,

ſemel, & inter eum qui labitur ſæpius; immo referunt, populum Hæbreum non ſemel poſt obtentam veniam fuiſſe relapſum, nihilque fortaſſe frequentiùs exprobrat Deus ſuo populo, quam inconſtantiam, & facilem poſt veniam relapſum. An negabit is auctor juſtificatos fuiſſe Ninivitas per pœnitentiam? Iidem tamen poſtea relapſi ſuæ Urbis excidium meruerunt. Igitur is juſtus, qui in Scripturis tanquam perſeverans deſcribitur, non eſt quicunque juſtus, ſeu juſtificatus, ſed qui generalem illam juſtitiam quæ virtutes omnes complectitur, in gradu ſublimi fuit adeptus, quo ſenſu multi in Scripturis viri ſanctiſſimi, juſti appellantur; hique ſolent perſeverare.

In Eccleſia autem veteri innumeri, quamvis poſt uſum rationis, immo ætate jam adulta eſſent baptizati, ut tunc baptizabantur plerique, in flagitia tamen labebantur, & relabebantur, ut colligi poteſt ex diſp.9. lib.2. mei Cler. Rom. & fuſiùs oſtendam infra.

Quid plura? Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum ex Tridentino ſeſs.14. cap.2. ut peccatores *per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari*. Eſt igitur inſtitutum in gratiam eorum qui lapſi ſunt poſtquam juſtificati per Baptiſmum fuere,

& re-

& relapſi ſunt poſtquam iterum juſtificati per ſacramentum Pœnitentiæ fuerunt. Accidit ergo ut qui ſemel, & iterum eſt juſtitiam adeptus, eam tamen iterum amittat: atque utinam id ſæpiſſimè non accideret. Quod igitur aſſerit is auctor, tanquam collectum ex Scripturis, Conciliis, & Eccleſiaſticis hiſtoriis, his omnibus, ni fallor, opponitur. Certè ex Scripturis quas allegabit, aut id inferet, quod inferrè non debet, aut nihil inferet contra meam doctrinam. Experire. Produc illas.

3 *Cler.* Producam. Hunc affert primo loco pſalmi 1. verſiculum, *Beatus vir, qui non abjit in conſilio impiorum*. Ex quo videtur ita colligere. Ergo juſtus (qui hìc ſignificatur nomine beati) non abit in conſilio impiorum, adeoque non labitur.

Auct. Igitur nullus ſemel juſtificatus labitur, qnod ſoli Hæretici dixere.

Cler. Non quidem nullus, ſed neque plerique, & ferè omnes labuntur, ſed ut plurimùm non labuntur.

Auct. Sed hoc in allegato textu non dicitur, & oppoſitum innuitur in aliis multis Scripturæ locis, ex quibus colligunt omnes, & præſertim rigidi Doctores, multos, aut etiam pleroſque fidelium damnari, ergo ex Scripturis multi aut etiam plerique fideles ita juſti fiunt per Sacramen-

menta, ut tamen juſtitiam amittant. Igitur prædictus Scripturę textus affertur inutiliter.

Cler. Hujuſmodi ſunt omnes Scripturæ, quas affert.

Auct. Igitur omnes affert inutiliter, nec meretur audiri.

Cler. Adhuc dura videtur ea tua propoſitio, quod videlicet Fideles omnes, exceptis pauciſſimis, ſæpè labantur, & relabantur.

Auct. Nec id ego aſſero; non enim loquor ibi de omnibus Fidelibus, ſed de iis tantùm, quibus imponebatur publica pœnitentia, quales non erant neque Clerici, neque pueri, neque ægri, inter quos innumeri abſque dubio diù retinent innocentiam, ut ii potiſſimum faciunt, qui in tam multis Seminariis, & Collegiis optimè inſtitutis ad pietatem, & ſtudia literarum informantur.

4 Cæterum, ſi dura ea mea propoſitio ſit dura quoque erit ea Salviani lib.7. de provid. ſub finem. *Exceptis pauciſſimis Dei ſervis ubi non omnia execratione digna?* Dura ea Divi Aug.conc.3. in pſal.30. *Inter multitudinem reorum vix apparent boni*. Dura ea D. Gregorii relata à Burchardo lib. 19. cap.43. *Sine carnali delicto non multi, ſed pauci inveniuntur*. Nam ſi pauci ſine carnali delicto, pauciſſimi ſine omni delicto inveniuntur. Duræ quoque erunt mul-

multæ ſacræ paginæ propoſitiones, quibus dicitur, *nullum eſſe qui mendax non ſit, qui recogitet corde, omnes declinaſſe, omnes inutiles factos, non eſſe qui faciat bonum, non eſſe uſque ad unum, vana locutos eſſe unumquemque ad proximum ſuum, omnes quæ ſua ſunt quærere, non quæ Jeſu Chriſti*. Dicet-ne is auctor has quoque propoſitiones eſſe duras, eſſe cauſam offenſionis, viamque aperire omnibus, ut mali ſint, ut carnale delictum committant, ut mendaces ſint, ut vana loquantur proximo ſuo, ut quærant quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti?

Cler. Id certè non dicet.

Auct. Cur hoc?

Cler. Quia hæc dicuntur à Scripturis, & Patribus ad ſignificandum dumtaxat magnum numerum eorum qui bonum non faciunt, qui carnalia delicta committunt, qui mendaces ſunt, & vana loquuntur proximo ſuo, qui ſua quærunt, & non quæ Jeſu Chriſti, longè majorem numero eorum qui rectè vivunt.

Auct. Optimè quidem, ſed hoc ipſum meam propoſitionem excuſat, oſtenditque, potuiſſe à me dici ſint nota, & ſine ſcandalo, pauciſſimos fuiſſe qui diù carerent culpa lethali, ad ſignificandum videlicet maximum eorum numerum, qui cadebant identidem, quique damnandi fuiſſent ad publicam pœnitentiam,

ſi, ut Jueninus, quem ibi impugno, contendit, omnes qui graviter deliquiſſent, fuiſſent ad publicam pœnitentiam compellendi. Hinc enim argumentum confeci, & iterum conficio nunc, ut eò redeam, undè me divertiſti. Nam conſtat fuiſſe pauciſſimos eos qui publicam & canonicam pœnitentiam ſuſcipiebant, ergo conſtat, aut veteris Eccleſiæ Fideles non conſueviſſe recurrere ad forum pœnitentiæ, aut recurriſſe quidem, ſed Confeſſarios, ex nimia benignitate non impoſuiſſe eis canonicam pœnitentiam, quam debebant imponere, aut impoſitam quidem ad his fuiſſe, ſed ab illis non fuiſſe peractam, aut demum non debuiſſe eam à Confeſſariis præſertim pro delictis occultis imponi. Priora tria dici non poſſunt ſine injuria veteris Eccleſiæ, ergo dicendum eſt hoc ultimum, non debuiſſe in foro interno imponi, præſertim pro delictis occultis, canonicam pœnitentiam, ſed eam indicatam tantùm fuiſſe, ſoloque conſilio eos præſertim qui occultè deliquerant, ad eam peragendam impelli conſueviſſe.

5 *Cler.* Hoc etiam hos rigidos Doctores offendit, quod quæ præcepta ſunt (ut ipſi dicunt) conſilia eſſe, doceas. Certè idem Theologus Belga pag. 340. graviſſimè tulit, quòd illis Chriſti Domini verbis *oportet ſemper erare*, con-

conſilium contineri, non autem præceptum, dicas in Clerico Rom. lib. 2. diſp.7. tuamque iſtam aſſertionem Orbi & Urbi denunciat, tanquam contrariam regulis bonæ interpretationis, communi ſenſui Eccleſiæ, & Patribus.

Auct. Redieram in viam, undè me avocaveras, cùm me iterum divertere cogis: nec video, cui bono id facias.

Cler. Ut reſpondeas ad ea quæ contra tuam doctrinam dicuntur, ſcribunturque.

Auct. Et hoc cui bono?

Cler. Ut deſinant dicere, & ſcribere contra te.

Auct. Deſinent nunquam.

Cler. At deſinent alii audire illos, poſtquam falſum eſſe, quod dicunt, oſtenderis.

Auct. Oſtendi jam.

Cler. Oſtende iterum, ut penitùs deſerantur, vel ſaltem ut reſpondere ipſe poſſim.

Auct. Quid tandem affert, quod ipſe ex te diluere non poſſis?

5 *Cler.* Dicit, vocem illam *oportet*, eſſe accipiendam propriè, dum Chriſtus docet, *oportere ſemper orare*, propriè autem acceptam ſonare præceptum ſemper orandi, non autem ſolum conſilium.

Auct. Miror id aſſeri à non ignaro linguæ Latinæ. Conſule Dictionarium, quod hìc ha-

bes abſolutiſſimum, & recita quid habeat in verbo *oportet*.

Cler. Sic habet. *Oportet*, *Imperſonale verbum*, *idem quod expedit*, *vel utile eſt*, *aut neceſsè eſt*.

Auct. Igitur vel ea verba Chriſti Domini exponantur ſic, *expedit ſemper orare*, ut ego expoſui, vel ſic *neceſſe eſt ſemper orare*, ut exponit Adverſarius, expoſitio erit propria. Imò mea magis erit, nam vox *oportet* propriiſſimè accepta primum tantum ſonat, nempè utilitatem, decentiam, & convenientiam, non autem neceſſitatem, ut iſthic notatum reperies, ſi legere proſequaris, hinc veteres ſcriptores probatiſſimi uſi ſunt hac voce *oportet* tanquam non ſignificante neceſſitatem: ſic enim Latinæ eloquentiæ magiſter Quintilianus lib. 1. cap. 1. *Non oporteret modò id fieri*, *ſed neceſſe eſſet*. Et Cic. ad Att. lib. 6. *Hoc fieri & oportet*, *& opus eſt*. Idemque pro Cornelio Balbo ſic exponit hanc vocem *oportet* ut idem tantùm ſit, ac *conſentaneum eſſe officio*. Patet autem, non omne quod eſt conſentaneum officio, eſſe neceſſarium, & præcipi. Igitur mea interpretatio magis propria eſt, & magis congruit regulis optimæ interpretationis.

6 *Cler.* Dicet fortaſsè ſaltem apud ſcriptores ſacros hanc vocem *oportet* uſurpari ſem-

per

per ad ſignificandam neceſſitatem, vel præceptum.

Auct. Id etiam eſt falſum. Imò ſæpiſſimè adhibetur dumtaxat ad ſignificandam utilitatem, vel convenientiam. 2. Reg. 4. 1. dicit David *eum qui annuntiaverat mihi, & dixerat: mortuus eſt Saul, qui putabat ſe proſpera nuntiare, tenui & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio*. Sapient. 15. 12. de impiis dicitur. *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere undecunque etiam ex malo acquirere*, & 16. 4. de Ægyptiis dicitur, quod cum exercerent tyrannidem in Judeos, *oportebat eis ſupervenire interitum*, Judęis autem *oportebat oſtendere, quemadmodum inimici eorum exterminabantur*. Quæ, rogo, in his neceſſitas, quod præceptum? Similiter eodem cap. 16. verſ. 28. *Oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare*. Quæ neceſſitas, aut præceptum datur vel dabatur adorandi Deum ante ortum Solis? Quid plura? In plerìſque Scripturæ locis hæc vox aut æque poteſt alterutrum ſignificare, aut ſignificat ſolam convenientiam, vel utilitatem, non autem neceſſitatem. Simili modò uſurpatur à Patribus, ut innumeris exemplis oſtendere poſſem.

Cler.

7 *Cler.* At Patres prædictam Chriſti Domini ſententiam ſic interpretati ſunt, ex prædicto Doctore, ut dixerint, ab Chriſto Domino per ea verba indici præceptum ſemper orandi.

Auct. Id nego, ſi nomine orationis intelligatur oratio ipſa & non cauſa orationis. Hæc duo diſtingue cum S. Thoma, & intelliges, per ea verba Chriſtum Dominum ſimul tradidiſſe præceptum, ut idem S. Thomas docet, & ſimul tradidiſſe ſolum conſilium, ut idem innuit, & colliges ex D. Gregorio. Præceptum tradidit, ſi non loquamur de oratione ipſa propriè & formaliter tali (quæ eſt ex D. Thoma & reliquis Theologis *elevatio mentis ad Deum, ſeu aſcenſus ad Deum*) ſed de cauſa orationis, nempè de charitate, ſeu recta intentione, qua quidquid agimus ad Deum aut formaliter, aut virtualiter dirigimus. Solum conſilium tradidit, ſi nomine orationis non ſignificemus cauſam orationis, ſeu prædictam intentionem, directionemque, ſed orationem ipſam, ex cujus aſſiduitate commendare ſolemus ſanctos viros: non enim cùm Ecceleſia eos laudat in Actis ipſorum *ex perpetuo orandi ſtudio*, laudat eos tantum ex eo quod omnia facerent ex recta intentione, ſed etiam ex eo, quod ſemper (quantum per occupationes, aliaſque vitæ neceſſita-

tes ipſis permitteretur) haberent mentem elevatam ad Deum, de Deo cogitarent, eique preces funderent, quod certè non fecerunt ex præcepto, ſed ex ſolo conſilio, ut multa alia.

8 Nunc audi D. Thomam, qui 2. 2. q.83. art. 14. allegatis in argumento *ſed contra* prædictis verbis Chriſti Domini, *oportet ſemper orare*, illiſque S. Pauli, *ſine intermiſſione orate*, ſic docet in corpore, *Dicendum quod de oratione dupliciter loqui poſſumus. Uno modò ſecundum ſeipſam, alio modo ſecundum cauſam ſuam. Cauſa autem orationis eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem in nobis debet eſſe continuum, vel actu vel virtute: manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur* 1. *ad Cor.* 10. *& ſecundum hoc oratio debet eſſe continua*. Audis? *ſecundum hoc* dicit, non autem *ſecundum illud*, nempè ſecundum orationem in cauſa, non autem ſecundum orationem in ſe. Ego autem de oratione in ſe ſum locutus, dum dixi per ea verba tradi conſilium, quod non negat Divus Thomas, & colligitur ut dicebam ex Sancto Gregorio qui in 5. Reg. libro 1. cap. 1. loquens de Anna matre Samuelis, quæ dicitur multiplicaſſe preces coram

Domi-

Domino, allegat Apoſtoli verba non ut præcipientis, ſed ut adhortantis ad continuam orationem propriam perfectorum. *Quid multiplicatio precum Annæ, niſi illam electorum perfectionem ſignificat, ad quam nos Doctor egregius HORTATUR, dicens, ſine intermiſſione orate? Sine intermiſſione namque orare niſi perfectus vir poteſt. Orare enim ſine intermiſſione eſt per affectum ſupplicationis conditori ſemper aſſiſtere.* Num Paulus præcipit, ut *ſupplicationibus Deo ſemper aſſiſtamus*, nempè eam orationem, quam ex D. Gregorio ſolus vir perfectus facere poteſt? Id certè nemo aſſeret. Igitur ibi S. Paulus hortatur tantum. Ergo etiam, Chriſtus Dominus hortatur, non autem præcipit orare ſemper, loquendo de oratione ipſa, eâque aſſidua eo modo quo moraliter fieri poteſt, & non de oratione ſola, nec de cauſa orationis, ut loquitur S. Thomas in textu allegato.

Cler. Nempè in eo textu, quem prædictus Theologos Belga allegat contra te. Quamvis totus faveat tibi, cùm dicat expreſsè, quod ſola cauſa orationis aſſiduæ præcipitur, non autem oratio ipſa aſſidua, de qua ſola tu loqueris.

Auct. Hinc diſce, quanti debeas facere textus, quos iſti Doctores congerunt: puto enim, etiam alios eſſe hujuſmodi. Expèrire,

 & re-

& recita, ſi meminiſti, eos quos affert poſt D. Thomam.

Cler. Affert omnes Theologos generatim, & ſpeciatim Wigerium.

Auct. Wigerium ſpeciatim? Reliquos innumeros eoſque præſtantiſſimos, & omnium ore celebratos generatim, unicum Wigerium ſpeciatim? Nec rides? Ecquid tandem dicit is tantus Theologus?

Cler. Dicit, orationem eſſe ad ſalutem neceſſariam, idque probat ex prædictis verbis Chriſti Domini & Apoſtoli.

Auct. Dicit ne aliud?

Cler. Prorſus nihil.

Auct. Nihil ergo dicit ad rem noſtram; non enim quæſtio eſt de oratione, quam eſſe præceptam nunquam negavi, ſed de oratione aſſidua. De hac nihil Wigerius.

Cler. De oratione aſſidua loquitur S. Auguſtinus, cujus longos textus allegat antea.

Auct. Et quid dicit Auguſtinus?

Cler. Dicit eſſe ſemper deſiderandam beatam vitam, & in hoc ſenſu eſſe ſemper orandum.

Auct. Non igitur loquitur de oratione ipſa, ſed de cauſa orationis. Non igitur affertur ad rem.

Cler. Hujuſmodi ſunt alii. Vel enim in

illis

illis de ſola oratione agitur, & non de oratione aſſidua, vel de ſola cauſa orationis aſſiduæ.

Auct. Igitur utrorumque authoritate abutitur, Scholaſticorum, & Patrum.

Cler. Tandem evertere ſe dicit doctrinam tuam ex abſurdo quod ex hac ſequi affirmat, nam, ſi non ſit præceptum orare ſemper actu vel virtute per prædictum deſiderium æternæ vitæ manans ex charitate, licebit, inquit, aliquando nec actu nec virtute deſiderare vitam beatam, ergo licebit aliquando deſiderare quæ in mundo ſunt, cum nequeat anima utroque deſiderio carere, ſed alterutrum neceſſariò habeat, aut deſiderium vitæ æternæ, aut deſiderium Mundi, ſicuti alterutrum amorem habet neceſſariò, aut Dei, aut Mundi, aut charitatem, aut pravam cupiditatem. Sed is diſcurſus innititur falſæ perſuaſioni, quod nimirum neges, dari præceptum orandi ſemper aut actu aut virtute; cùm, ut modò dicebas, ſolùm neges, dari præceptum orandi ſemper oratione, quæ ſit oratio ipſa, & non ſola virtus, ſeu cauſa orationis.

Auct. Ita profectò. Ne igitur inutili hujus libelli lectione teramus tempus. Et quoniam ejus auctor ex illis eſt, qui ſolos Doctores antiquos legi vult ab illis qui volunt addiſcere doctrinam moralem, ipſum qui recentiſ-

ſimus eſt, abjice, noſque in viam qua digreſſi ſumus, reſtituamus. Oſtendi ſupra, non debuiſſe Fideles, præſertim cùm clanculum, nec atrociter deliquiſſent, à Confeſſariis ad canonicas pœnitentias compelli. Nunc fortè quæres, an ſaltem aliquando, & quando debuerint ab eodem, aut potiùs ab Epiſcopo ad eaſdem compelli.

Cler. Id certè ſcire cupio.

CAPUT XV.

An ſaltem aliquando, & quando debuerint Fideles ad has pœnitentias à Confeſſario, vel ſaltem ab Epiſcopo compelli, & venia recuſantibus negari.

1 AUCT. Reſponſio ſequitur ex iis, quæ dixi ſupra. Dico igitur, debuiſſe abſque dubio ita compelli in aliquibus delictis; quatuor tamen concurrentibus.

Primum erat, quod reus publicè ea commiſiſſet, aut eſſet accuſatus, & convictus, aut eſſet ſpontè confeſſus publicè. Id probatum eſt ſupra auctoritate S. Auguſtini, & aliorum.

Alterum eſt, quod reus oſtenderet facti pœnitentiam: non enim impœnitens poterat

ea

ea facere quæ erant initia pœnitentiæ canonicæ, nempè deflere culpas ſuas ad fores Templi, confiteri humiliter culpas ſuas, proſterni pedibus cujuſque, aut ſaltem Sacerdotis, & petere veniam, pacem, & Sacramenta. Conſtat hoc ipſum ex pluribus, quæ ſupra attulimus, Patrum decretis, ſententiiſque, in quibus reus anathemate plectitur, aut ſaltem ab Altari, vel etiam Templo amovetur; pœnitentia tamen ei non imponitur, niſi reſipiſcat, & pœniteat.

2 Tertium eſt, quod Pœnitenti expediret. Aliquibus enim utilior erat reconciliatio ſtatim conceſſa, ut iis futuram credidit Cyprianus epiſt. 54. qui poſt lapſum in quæſtione fidei, novum certamen fortiter ſubire parati erant, ſi ſtatim reconciliati fuiſſent, & ideò eos ſtatim, aut paulò poſt reconciliavit. Ne deſperarent aliqui, nimioque mœrore tabeſcerent, fuerunt citiùs reconciliati, & ſaltem parte pœnitentiæ canonicæ abſoluti. Id Apoſtolum impulit ad celeriorem Corinthii inceſtuoſi reconciliationem: timuit enim, ut ipſe Corinthiis ſignificavit epiſt. 2. cap. 2. *ne fortè abundantiori triſtitia abſorberetur* is qui fuerat abſciſſus, & ſatanæ traditus ad correctionem.

3 Quartum eſt, quod uſus ille rigidæ diſciplinæ expediret Eccleſiæ, cui aliquando non

expediebat, ut Pœnitens canonicam ſubire pœnitentiam cogeretur; cùm videlicet hæc ſeveritas cauſa ſchiſmatis fuiſſet, & ruinæ multorum. Cùm ergo id mali timebatur, diſſimulandum potiùs erat, quam vindicandum, iſque erat Eccleſiæ mos, ut monet Innocentius Papa à Burchardo allegatus lib. 19. cap. 83. *Quoties à populis, vel à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſolet tranſire*. Id fieri debuiſſe, teſtatur etiam Auguſtinus lib. 3. contra Parmenianum Donatiſtam cap. 2. *Hoc obſervat Eccleſia, ut cum quiſque fratrum, ideſt Chriſtianorum, intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum eo dilectione fiat, de qua ipſe Apoſtolus alibi præcipit dicens, ut inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem; ubi ſatis oſtendit, quod, cùm metus iſte non ſubeſt, ſed omninò de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet, ideſt quando ita cujuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tantò eſt efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior conſervatio charitatis. Tunc*

autem

autem hoc ſine labe pacis, & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cum Congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena eſt, neque enim poteſt eſſe ſalubris multis correptio, niſi cùm ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat, quam dolor, & gemitus . . . Nam conſilia ſeparationis & inania ſunt, & pernicioſa, atque ſacrilega, quia & impia, & ſuperba fiunt, & plus turbant infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos.

4 Hac de cauſa fuit ſtatim receptus Trophimus Epiſcopus à ſanctiſſimo Pontifice Cornelio, qui (ut dicit S. Cyprianus epiſt.52. eum vindicans à calumniis nonnullorum qui ſanctiſſimi Pontificis factum improbaverant) *neceſſitati ſuccubuit; & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte tunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate, & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt, qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent.*

Quod

Quod Cornelius fecit cum Trophimo, & anteceſſores Epiſcopi cum aliis, ſæpè fecerunt alii poſtea cum ſimilibus Pœnitentibus, nempè Concilium Antiochenum cum Paulo Samoſateno, Melchiades Papa cum Donatiſtis, Nicænum Concilium cum Novatianis, Laodicenum cum Quartodecimanis, Alexandrinum, confirmante Liberio Papa, cum Epiſcopis Arianis. Teſtatur quoque Tertullianus in Apologetico cap. 30. Marcionem *ob inquietam ſemper ejus curioſitatem, qua fratres quoque vitiabat, ſemel & iterum ejectum, ac noviſſimè in perpetuum diſſidium relegatum, niſi morte præventus eſſet, pœnitentiam confeſſum pacem recepturum fuiſſe, ſi cæteros, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret.*

5 Ex eodem amore boni publici non debuerunt aliqui, quamvis accuſati, & convicti, ad canonicam, & publicam pœnitentiam compelli, quæ effeciſſet, ut eorum delicta nondum publicata, cum ſcandalo bonorum vulgarentur, aut non crederentur vera, ſed odio ipſorum Epiſcopum conficta. Id genus delinquentium debuerunt potiùs tolerari, quam caſtigari, ut pariter monet S. Auguſtinus epiſt. 48. ad Vincentium. *Facta nocentium, quæ innocentibus demonſtrari, vel ab innocentibus credi non poſſunt, non inquinant quenquam, ſi propter innocen-*

nocentes etiam cognita ſuſtinentur: non enim propter malos deſerendi ſunt boni, ſed propter bonos tolerandi ſunt mali.

Aliæ multæ cauſæ fuerunt, propter quas nec in foro externo debuerunt aliquando imponi, & præcipi pœnitentiæ canonicæ. Cùm autem difficilè eſſet omnes recenſere, ideò data fuit Epiſcopis ampla facultas eas, aut earum partem, cùm ſibi è re viſum eſſet, per commiſerationem, & indulgentiam condonandi. Nam ipſi ſoli poterant in cauſa pœnitentiæ, ſi tempus permitteret, ſententiam dicere, ut patet ex decretis plurium Conciliorum, & Patrum teſtimoniis, quæ referunt Burchardus, Ivo, Gratianus, aliique Canonum Collectores.

CAPUT XVI.

An fuerint multi ad ſubeundas Canonicas pœnitentias compulſi, eaſque multi verè peregerint.

1 CLER. Explicaſti clariſſimè, quid fieri debuerit in cauſa pœnitentiæ, nunc ſcire velim, quid factum fuerit. Multa enim fieri mandant leges, quæ tamen non fiunt. Id ergo quæro nunc, fuerint-ne iſtæ pœnitentiæ impoſitæ aliquando, verèque peractæ?

Auct.

Auct. Eas fuiſſe verè impoſitas aliquando, eſt indubitatum: multas enim hujuſmodi ſententias Pontificum, & Epiſcoporum, qui duriſſimas pœnitentias aliquibus impoſuerunt, referunt ſcriptores, aliquaſque ex illis attuli ego lib.1. cap.5. & in Cler. Rom. lib. 1. diſp.9. conſtatque fuiſſe verè in Eccleſia veteri Ordinem pœnitentium, qui à reliquis Fidelibus in Templis diviſi publicam pœnitentiam in ſacco, & cinere profitebantur. Hos non raró alloquuntur Patres, dum ad populum habet concionem, hoſque Diaconus, cùm erat incipiendum ſacrificium, egredi cum Catechumenis è Templo, jubebat. Ritus præterea ſervari ſolitos in omnibus Eccleſiis circa hos pœnitentes deſcribunt libri rituales, ſeu ſacramentarii vetuſtiſſimi.

Id ergo ſolùm in controverſiam cadere poteſt, an ſæpè id factum fuerit, multique verè compulſi ob Apoſtaſiam, homicidia, adulteria, aliaque hujuſmodi delicta aut publicè commiſſa, aut ad forum delata & probata, pœnitentias illas plurium annorum adeò laboroſas, luctuoſaſque ſubire, nec ſolam publiciam aliquam pœnitentiæ ſignificationem uno vel altero die præbere.

2 Ut autem expromam quid ſentiam, aſſero, perpaucos fuiſſe ad eas tam longas, & aſperas

ras pœnitentias compulſos, certè pauciſſimos eas peregiſſe.

Id probo 1. quia perrarò ea omnia concurrebant, quæ concurrere debebant, ut Pœnitens cogi poſſet ingredi ſtadium hujus pœnitentiæ, ipſumque totum emetiri; quòd nempè delictum non ſolum publicum eſſet, aut ritè probatum, ſed his præterea pœnitentiæ, ac doloris ſignis retractatum, ex quibus conjici prudenter poſſet, pœnitentem eas tam longas, & aſperas pœnitentias non recuſaturum, aut non recuſatas verè peracturum. Cùm verò hæc duo concurrebant, tertium ſubindè deerat, nempè utilitas Eccleſiæ, & aliorùm Fidelium. Igitur plerumque timeri prudenter poterat, ac debebat, ne Pœnitenti fieret nimis odioſum remedium, vel ne fieret reliquis Fidelibus, vel ne fieret infidelibus nimis odioſa noſtra Religio.

3 Is timor fecit, ut Patres tam ſæpè ad clementiam Eccleſiaſtici fori Præſides hortarentur, ut fit canone Apoſtolorum 51. & ſignificantiùs lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 18. 28. 43. 44. 45. 59. 60. Significantiſſimè idem fit à S. Jo: Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio, ab Auctore Operis imperfecti hom. 43. ſup. cap. 23. Matth. (ejuſque verba allegavi in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 9.) ſæpiſſimè à S. Leone

& præ-

& præſertim epiſt. 87. ad Epiſcopos per Viennenſem provinciam conſtitutos, & epiſt. 89. ad Theodorum Forojulienſem Epiſc. ſæpiſſimè etiam à S. Gregorio, & præſertim lib. 2. ep. 62, ubi, ut refert Iuo part. 9. cap. 122. ſic monet Domitianum quendam Epiſcopum, *Qui culpam plangunt luxuriæ, & voluptatem carnis in dolorem vertunt, à magiſtris ſentire non debent aſperitatem diſciplinæ, ne ipſe humani generis Redemptor minùs ametur, ſi pro eo anima pluſquam debet, atteritur.*

4 His concinunt reliqui Patres, qui hortantur quidem peccatores ad ſeveriſſimam pœnitentiam peragendam, at (quod multi non diſtinguunt) non hortantur miniſtros Pœnitentiæ ad ſeveriſſimam pœnitentiam, qualis certè Canonica erat, imponendam. Imò (quod valdè notabile eſt) ipſi Canonum pœnitentialium Collectores, eorum rigorem temperandum eſſe, conſultò, ac ſtudiosè monuerunt. Id fecere (ut omittam Gregorium III. de quo cap. 11. dictum eſt) Burchardus, & Jvo Epiſcopi ambo, ambo doctiſſimi, ſanctiſſimique.

Horum primus lib. 19. decretorum, poſtquam pœnitentias canone ſtatutas recenſuit, ſic habet ſub finem capitis 8. *Hæc omnia de Canonibus, & de Sanctorum Patrum ſententiis, & de Hieronymo, de Auguſtino, Gregorio, Theo-*

Theodoro, *Beda*, *&* *ex Pœnetentiali Romano vera collegimus*. Ne verò quis eos canones, & Patrum ſententias legens colligeret, prędictas pœnitentias eſſe omninò, & quibuslibet, qui eas culpas commiſiſsent, imponendas, ſtatim ſubdit. *Et ut nulli neceſſe ſit perire, ſcientibus, & intelligentibus animarum medicis hæc temperanda committimus*. Rationem, ex qua temperandi illi ſint, non petit ex infirmitate, & exigua virtute pœnitentium ſui temporis, ſed ex auctoritate Scripturarum, ut conſtaret, ſemper fuiſse rigorem Canonum à *Medicis ſcientibus*, *& intelligentibus* temperatum. Sic ergo proſequitur. *In Jeſu filio Sirach dicitur*, *In judicando eſto miſericors*, *pupillis ut pater*. *Item S. Jacobus ait*: *Judicium ſine miſericordia erit illi qui non facit miſericordiam*: *ſuperexaltet autem miſericordia judicium*.

5 De Iuone loquens Morinus lib.7.cap.12. num.12. dicit, *eum de variis quæſtionibus quid opus factu eſſet*, *interrogatus*, *nunquam aliter*, *quam juxta Canonum rigorem reſpondiſſe*, *aut*, *ſi quid clementius interrogantes importunè efflagitarent*, *ad Pontificem eos remiſiſſe*. At deceptus ipſe fuit, ejuſque auctoritate deceptus ego fui in Cler. Rom. lib.2. diſp. 11. num. 14. non enim Iuonis collectionem Canonicam, ejuſque epiſtolas legeram, ut legi poſtea non

ſemel.

ſemel. Et quidem in ſuis epiſtolis reſponſa præbet Iuo plena benignitatis, ut ſi eas legeris, videbis, utque animadvertit, & notavit, qui breviſſimam ejus vitam ſcripſit, editam initio Operum hujus Doctoris. Sic enim habet paulò poſt medium, poſtquam interritam ejus conſtantiam, qua principibus viris reſtitit, multis deſcripſit. „ Ne tibi tamen fingas Iuonem virum auſterum, ac ferreum, qui contumacia, „ ac inani jactatione libertatis famam, fatum- „ que provocaret. Qui legerit ejus epiſtolas, „ moderatum agnoſcet. Sępè namque CANO- „ NUM RIGOREM TEMPERAVIT, AUT „ ALIOS TEMPERARE MONVIT. Sępè „ Pontifices, aut legatos eorum, alioſque Prę- „ ſules à pronunciando anathemate dehortatus eſt. Denique multò plura toleravit, „ quam increpavit, ut de ipſo dicere poſſi- „ mus, quod olim de Pontifice, ſed profano „ dictum (Nullius ſervilis ſententiæ ſpontè „ auctor, & quoties neceſſitas ingrueret, ſa- „ pienter moderans.) Dictum ab Urbano II. „ anathema contra Philippum diù celatum de- „ tineri voluit benevolentiâ, ac propenſione „ quadam erga Principem, nec quis in regno „ tumultus fieret. Bellovacenſi Clero, ſciſci- „ tanti, utrum reum quendam Canonicum „ tribunali Eccleſiaſtico, ut fert Canonica lex,

„ an

„ an civili, vel regio, ut Rex ipſe imperabat,
„ ſiſteret, illud quidem melius, & ex jure,
„ iſtud tamen faciendum cenſet ob ea, quæ
„ imminebant mala, niſi patientiam ad omnia
„ duratam, paratamque haberent. Similia
„ fere ſcribit Turgedo ingenæ Abrincantorum
„ Epiſcopo dubio ſententiæ, num Legato
„ Summi Pontificis, aut Regi obtemperaret,
„ Illi quidem morem geſtum oportere dicit;
„ at ſi non ſatis ei ſit animi; neque iratum Re-
„ gem habere velit, mittat ad Summum Pon-
„ tificem, qui factum contra ejus voluntatem
„ excuſent. Apud Cononem autem Præneſti-
„ num Epiſcopum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ
„ Legatum orat, ut Epiſcopus Bajocenſis cen-
„ ſurâ Eccleſiaſticâ non inuratur, quippe qui
„ ſub alieno jure, cui ſerviat, neceſſe eſt, di-
„ ſtinetur. „ Hæc is Auctor, quibus alia ſu-
peraddit, & ſuperaddere plura poterat ejuſdem Præſulis dicta, & facta benigniſſima, quæ præſtat innuere quam referre.

6 Idem Præſul doctiſſimus in Prologo ſuæ Collectionis, quam Decretum vocat, fuſiſſimè oſtendit, canones eſſe perſæpè benignè interpretandos, aut moderandos, aut rigidioribus abrogatis, alios benigniores ſubrogandos, idque ſanctiſſimè ſemper factum in Eccleſia fuiſſe, quia, inquit, omnis Eccleſiaſticæ diſcipli-

næ finis eſt deſtructio errorum vitiorumque, & ædificatio virtutum, *cujus ædificationis magiſtra eſt charitas, quæ ſaluti proximorum conſulens id præcipit aliis fieri, quod ſibi quiſque vult ab aliis impendi*. Subditque. *Quicunque ergo Eccleſiaſticus Doctor Eccleſiaſticas regulas ita interpretatur, aut moderatur, ut ad regnum charitatis cuncta quæ docuerit, vel expoſuerit, referat, nec peccat, nec errat, cùm ſaluti proximorum conſulens ad finem ſacris inſtitutionibus debitum pervenire intendat, unde dicit Auguſtinus de Diſciplina Eccleſiaſtica tractans. Habe charitatem, & fac quidquid vis. Si corripis corripe cum charitate, ſi parcis, parce cum charitate*. Affert autem ex Scripturis, ex Conciliis, ex hiſtoria Pontificum Romanorum innumera exempla prædictæ benigniſſimæ interpretationis, moderationis, & diſpenſationis: Ex quibus apparet, longè aliam fuiſſe etiam in veteri Eccleſia receptam moribus diſciplinam ab ea, quàm ſibi fingunt, qui ſolos Canones legunt, qui videlicet, ut benè S. Ambroſius in pſal. 118. eos deſcribens notat, *non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem*.

7 Hinc autem, nempè ex poſſibilitate peto ſecundum argumentum. Eſt enim certum, pleroſque minimè potuiſſe peragere pœnitentias Canonicas, quarum præcipua pars in maximo

ximo numero, & rigore jejuniorum ſita erat. Non poterant pueri, non poterant ſenes, non poterant ægri, non poterant debiles, non poterant milites, non poterant famuli, & reliqui innumeri, qui ex diurno labore vivunt, non poterant mulieres pleræque, vel pregnantes, vel lactantes, vel debiles, vix poterant viri eâdem cum uxoribus utentes menſâ. His detractis quàm pauci remanent, qui poſſent? Ex his autem pauciſſimis, qui per vires corporis poſſent, quàm pauci erant, qui vellent, vel qui ſpem facerent Epiſcopo, ſe pœnitentiam impoſitam tam longam, & aſperam peracturos, vel qui impoſitæ pœnitentiæ partes omnes implerent?

8 Hinc autem ſumo tertium argumentum, nempè ex arduitate, & libertate prædictæ pœnitentiæ. Libera illa erat. Quamvis enim Reges aliquot, & Imperatores coegerint aliquos, qui enormiter, & cum magno ſcandalo deliquerant, vel pœna capitis damnandi alioqui fuiſſent, ſe ſubjicere Eccleſiaſticæ cenſuræ; id tamen in pleriſque ſeculis, & regionibus factum non fuit. Imò ubi factum id fuit, non id obtentum ea vi fuit, ut reus plurium annorum ceremoniis, pudore publico, vigiliis, jejuniis, abdicationibus, ſua delicta expiaret, ſed ut Epiſcopo ſe ſiſteret, & aliquot hebdo-

P 2 mada-

madarum, aut dierum carcere, vel receſſu maceratus publicam aliquam pœnitentiæ ſignificationem exhiberet. Igitur aut ſemper, aut fere ſemper urgebatur reus ſolis Eccleſiaſticis pœnis, quas perditi homines parvipendunt. Hinc tam multi manebant uſque ad mortem impœnitentes, ut aliqui Epiſcopi (quamvis rigidiùs quàm par erat) neceſſarium eſſe putaverint, ad alios abſterrendos, eis quamvis jam agerent animam, & veniam cum lacrymis poſcerent, veniam negare.

9 Liberum quoque erat acceptam proſequi pœnitentiam. Quamvis enim aliquibus id munus demandatum eſſet inquirendi in mores, & vitam Pœnitentium, hi tamen pleraque nec ſcire certò poterant, aut quæ ſciebant, diſſimulare cogebantur, idque ſolùm plerumque ad Epiſcopum referre poterant, an Pœnitens emendatum ſe oſtenderet, & ſe publicè gereret tanquam pœnitentem, non verò, an domi ſuæ abſtineret ab uſu conjugii, an in feriis legitimis ſolo pane, & aqua viveret, & in reliquis feriis ſolis piſciculis, & oleribus vitam ſuſtentaret. Nec Epiſcopus, quando etiam cuncta reſciviſſet optimè, vi poterat adigere pœnitentem ad conſtantiam, & diligentiam. Libera igitur erat Canonica pœnitentia, eademque aſperrima. Recole iterum, quæ ſupra audivi-

diviſti, & millies legiſti, illos fletus, illum publicum pudorem, illas ſordes, illas ejectiones, illas ſegregationes, illas preces fuſas ante pedes Fidelium, illas ſubſtrationes ad pedes Sacerdotum, illas ſtationes, illas vigilias, illa tot annorum jejunia, illam mortem lentiſſimam. Pœnitentia autem ſic aſpera ſimul & libera non potuit eſſe, niſi pauciſſimorum, ut puciſſimorum eſt virtus heroica. Igitur pauciſſimi eam ſubierunt. Reliquis tantum onus ſubire detrectantibus, aut venia negata fuit, aut permiſſum, ut impoſitas pœnitentias redimerent.

10 Hinc autem ſumo quartum argumentum, nempè ex redemptionibus pœnitentiæ, quas permiſſas ſemper fuiſſe, probavi lib. 1. cap. 9. & colligi etiam poteſt ex ipſis Patribus Eccleſiæ vetuſtæ.

11 Hinc autem peto quintum argumentum, nempè ex ſcriptis Patrum antiquorum. Multa quidem leguntur in illis de Pœnitentia, multi leguntur Canones pœnitentiales, multa quoque ſpontè pœnitentium facta, at neque multæ ab eis pœnitentiæ Canonicæ impoſitæ, nec multæ, imò vix ullæ hujuſmodi plurium annorum pœnitentię ex mandato Epiſcoporum peractæ leguntur.

Multos compulit S. Cyprianus ad publi-

 cam

cam pœnitentiam, ſed neminem compulit per annos totos pulſare gemitibus Eccleſiæ fores, & aliis poſtea annis terere porticum cum Catechumenis, aliis jacere proſtratum ante pedes Sacerdotum, & vigilias, jejuniaque ad multos ſimiliter annos protrahere. Quam ergo pœnitentiam impoſuit? Ut non ſtatim ad Altare cum cæteris Fidelibus accederent, ſed aliquandiù cum lacrymis, & gemitibus publicè veniam peterent, & vigiliis interim jejuniiſque eam ſibi promereri curarent.

12 Nec valdè rigidiorem fuiſſe crediderim praxim Patrum Græcorum, qui eodem quo Cyprianus, aut ſequenti ſęculo floruerunt, Gregorii Thaumaturgi, Petri Alexandrini, Baſilii, & Nyſſeni, quamvis eos Canones pœnitentiales, quos attuli lib. 1. cap. 4. condidiſſe ferantur; nam, ut ſupra notavi, Concilium celebratum in Trullo eos recepit eo tempore, quo certè benignior erat diſciplina pœnitentiæ; & Joannes Monachus in ſuo Pœnitentiali, cujus memini cap. 4. quamvis nihil rigidus, Baſilii tamen diſcipulum ſe profitetur. Dicendum eſt igitur prædictorum Patrum praxim fuiſſe benignitate temperatam, & ex ea ſucceſſores Epiſcopos fuiſſe eos Canones interpretatos. Certè haudquaquam crediderim ab his Patribus receſſiſſe S. Gregorium Nazianzenum, & S. Joan-

S. Joannem Chryſoſtomum; ſic autem benignos utroſque fuiſſe erga Pœnitentes conſtat, ut indè fuerint à ſuis Adverſariis (qui & ipſi rigidiorem Theologiam profitebantur) accuſati, ut refert Card. Baronius ad an. 375. & ad ann. 403.

13 Et quidem benignitas præſertim Sancti Joannis Chryſoſtomi erga pœnitentes eminet ex iis, quæ dicit ſcribens ad Theodorum lapſum epiſt. 5. & ex lib. 2. de Sacerdotio, quæ ego recitavi in Cler. Rom. lib. 1. diſput. 5. num. 29. & diſp. 9. num. 57. Eminet etiam ex ejus ſerm. 9. quem allegavi cap. 5. num. 6. ubi Sanctiſſimus Præſul ab iis, qui frequenter moniti, & objurgati ſæpiſſimè, feſto ipſo die, poſt ſacram Communionem relapſi fuerant in idem peccatum, quod eſſe graviſſimum millies docuerat, non exigit aliud, quàm dolorem, propoſitum, & confeſſionem: ſatisfactionem tacuit, utpotè futuram talem, quam, peractis illis tribus, facilè peregiſſent.

14 Eandem ex magna in Pœnitentes benignitate invidiam, & notam apud rigidos cenſores incurrit S. Ambroſius, de quo idem Baronius eo an. 375. ſic habet. *Quod verò Eccleſiam diù ab Arianis poſſeſſam inſtar dumoſi nemoris invenerit, in qua ex tanta populi multitudine vix paucos eſſet reperire, qui aliqua ex*

parte, vel leviter ſaltem non eſſent Arianæ communicationis labefactati contagio, ut par erat, ad recipiendos eos in Eccleſiam pœnitentes, omnibus fores Eccleſiæ aperiri juſſit, cujus rei cauſa quod FACILIS ESSET AD INDULGENTIAM (quod accidit poſtea quoque Gregorio Nazianzeno Conſtantinopoli) multorum invidiam paſſus eſt, eorum videlicet quos dicebam rigidos Doctores, ſolitos exprobrare Sancto Antiſtiti, quod extra Eccleſiam à puero innutritus, & à foro raptus ad Epiſcopatum, quæ Dei, ejuſque Eccleſiæ ſunt, ignoraret, aut non ſatis cuſtodiret. Hæc in ſe jactata fuiſſe idem Ambroſius innuit lib. 2. de Pœnitentia cap. 7. 8. ubi ſic prædictos Cenſores alloquitur, *Vos indignamini, & contra Eccleſiam congregatis Concilium, quia videtis mortuos in Eccleſia reviviſcere, & peccatores indultâ veniâ reſuſcitari. Itaque, quod in vobis eſt, per invidiam rursùs vultis interficere ſuſcitatos &c.*

15 Non ſolos autem eos, qui ab hæreſi Ariana ad Eccleſiam redirent, ſed omnes Pœnitentes comiter ab eo exceptos, & benigniſſimè curatos fuiſſe, teſtatur Paulinus in ejus vita, in qua ne unum quidem verbum legitur, unde colligi poſſit, fuiſſe ab eo, vel ſemel damnatum Pœnitentem ad eas plurium annorum pœni-

pœnitentias, imò non pauca ſunt, ex quibus colligatur oppoſitum, ut cùm ejus in audiendis Confeſſionibus benignitatem deſcribit; refert enim, uti peccata à pœnitentibus accepta *nulli niſi Domino apud quem intercedebat, loquebatur, relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Dominum ſint magis, quam accuſatores apud homines*. Quibus verbis carpit abſque dubio eos Epiſcopos, qui publicè corripiebant eos, qui clam deliquerant, aut iiſdem imponebant publicas pęnitentias, per quas eorum delicta *apud homines* accuſabantur.

16 Deſcribit S. Hieronymus epiſt. 30. Fabiolæ matronæ Romanæ pœnitentiam, tanquam ſpectaculum admirandum, inſolitum, & vix unquam viſum, nec tamen dicit, eam per aliquot annos ante fores Templi fleviſſe, & procul à Fidelibus cum Catechumenis ejectam, poſt ſeptem, aut decem annos fuiſſe reconciliatam; ſed pro foribus Baſilicæ Laterani *ante diem Paſchæ ſacco indutam in ordine pœnitentium ſtetiſſe, & Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus ſparſum crinem, ora lurida, ſquallidas manus ſordida colla ſubmiſiſſe*. Sequenti autem die Paſchatis, fuiſſę pace donatam, & Altaris communioni reſtitutam ſatis ſignificat, dnm ejus ſpectaculi tempus notans, meminit ſolius diei, quæ pręit diem

Pa-

Paſchæ, dumque ſtatim addit, *Recepta ſub oculis omnis Eccleſiæ communione, quid fecit? ſcilicet in die bona malorum non oblita eſt, & poſt naufragium rurſum tentare noluit pericula navigandi*, & ideò Hieroſolymitanam peregrinationem ſtatim ſuſcepit, ſpontè tamen, ut ſpontè ſuſceperat publicam pœnitentiam. Quis enim credat ad hanc pœnitentiam publicam fuiſſe eam compulſam, quam nemo antea monere auſus fuerat, ne ſecundum, vivente priori marito, conjugium iniret, quam nemo compulerat ab eo jam inito reſilire, ab eo inquam conjugio, quod aliter excuſare non potuit ipſe Hieronymus, quam dicens, initum ab ea fuiſſe quia *Evangelii vigorem non noverat*, quam ſanè ignorantiam forum Eccleſiaſticum non præſumit, nec præſumere poterat in fœmina tam culta, eoque tempore, quo in Eccleſia Romana comperta cuique erat, aut eſſe Fabiolæ debebat lex Evangelica, qua, ut ibidem idem Hieronymus, *nubendi univerſa cauſatio, viventibus viris, fœminis amputatur*. Non igitur compellebantur paſſim pœnitentes ſaltem nobiles eam tot annorum pœnitentiam peragere, quam tunc Canones imponebant. Quæ enim tanta laus Fabiolæ fuiſſet id facere uno die quod pluribus annis facere teneretur, quodque ab aliis, qui minora delicta commiſerant, paſſim

ſim fieret? Igitur nec unius diei pœnitentiam publicam facere viri præſertim nobiles, paſſim jubebantur. Quis autem credat factam ſępè fuiſſe à viris plebeiis pro ſimplici fornicatione, pro furto, pro perjurio eam plurium annorum pœnitentiam Canone ſtatutam, quam à nobilibus viris pro majoribus etiam delictis vix unquam fieri videbant?

17 Hanc certè pœnitentiam tam longam, & aſperam, imò qualemcunque publicam à plebeiis hominibus recuſatam tunc fuiſſe, teſtatur Auguſtinus hom. 49. ex 50. *Erubeſcit plebeius, ſive negotiator, erubeſcit Curialis.* Ecquid erubeſcit? Audi. *Erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei, quod non erubuit Imperator*, nempè Theodoſius, de cujus pœnitentia ibi agit, & ego fusè ago in Cler.Rom. lib.1. diſp.9. num. 51. Id ergo ſolùm exigebat S. Auguſtinus ab eo, qui publicè deliquerat, ut aliquandiù remotus ab Altari publicè figeret genu ante pedes Sacerdotis manus imponentis, benidicentiſque, ut fecerat Theodoſius, utque faciendum ipſe ſignificat hom. ultimâ ex 50. Et ſanè in tam multis locis, in quibus agit Auguſtinus de pœnitentia, nec earum quatuor ſtationum meminit, nec eorum plurium annorum, in quos pœnitentia protrahi neceſſariò, & ex præcepto deberet, nec eam

ipſe

ipſe impoſuit unquam, nec alium Canonem pœnitentialem propoſuit quam eum, ut qui clam peccaverat, ſecretis correctionibus curaretur, qui verò publicè, publicè corriperetur, aut publicam aliquam pœnitentiæ ſignificationem præbere juberetur, ſi id ipſi, aut Eccleſiæ expediret. Plura hujuſmodi loca S. Doctoris ſparſim protuli ſupra, unum hic addo epiſt. 54. in quo de iis, qui aliena rapuerant, ita loquitur. *Nolentes reddere quos novimus & malè abſtuliſſe, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum pernicem ad majorem inſaniam concitari. Aliquando etiam, ſi res magis curanda non impedit, ſancti Altaris communione privamus.* His duobus tantum remediis fures manifeſtos curare conſuevit Auguſtinus, correptionibus videlicet, & privatione communionis. Aliis, præter hæc duo, remediis curatos ab eo fuiſſe alios criminoſos, legi nunquam.

18 Sozomenus lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 16. graphicè deſcribit modum quo Romæ curabantur publicè pœnitentes. Loquens enim de eo ritu publicæ pœnitentiæ, quem, abrogato munere Presbyteri pœnitentiarii, ſuſtulerat.

Ne-

Nectarius (de quo egit initio cap. 5.) hæc dicit . *Sollicitè in Occidentalibus Eccleſiis*, & *maximè in Romana ſervatur . Ibi enim eſt manifeſtus Pœnitentium locus . Stant autem in eo mæſti , ac veluti lugentes , finitoque demum Dei ſacrificio participes non facti , quorum participes fieri puros Dei cultores fas erat , cum planctu ,* & *lamentatione ſe ipſos in terram pronos abjiciunt . Tum ex adverſo lamentabundus Epiſcopus accurrens conſimiliter humi cum ejulatu collabitur , ac tota denique Eccleſiæ multitudo lacrymis ſuffunditur . Poſt hæc Epiſcopus primus exurgit , ac jacentes erigit ,* & *quantum ſatis eſt , pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus eos dimittit . Privatim deindè ſpontè ſua quiſque vel jejuniis , vel lotionum , ciborumque abſtinentia , vel aliis quibus juſſus eſt , ſemetipſum affligens , tempus expectat , in quantum Epiſcopus præſtituit . Elapſo demum præfinito die , pœnâ jam , quaſi debito quopiam , exolutâ , à peccatis abſolvitur ,* & *populo in Eccleſia conjungitur . Hæc Romani Sacerdotes ab ipſo inde exordio etiam ad noſtram uſque memoriam cuſtodiunt . In Eccleſia verò Conſtantinopolitana Presbyter pœnitentibus deputatus hoc munere functus eſt , donec mulier quædam nobilis ob peccata , quæ confeſſa erat ab hoc Presbytero jejunare ,* & *Deo*

Deo ſupplicare juſſa , & ob eam ipſam cauſam in Templo morata ſe ab homine Diacono conſtupratam prodidiſſet &c. Ex his (ſi vera hæc hiſtoria eſt , ut eam eſſe non negant Adverſarii noſtri) ſatis intelligis , quæ ſemper fuerit in Romana Eccleſia ab ipſo exordio uſque ad medium ſeculum quintum , quo Sozomenus ſcripſit , pœnitentiæ publicæ practica diſciplina quàm mitior ſpeculativâ , quam nobis eorum temporum Canones repræſentant . Hìc enim is Auctor omnes , ſaltem præcipuos , pœnitentiæ Romanæ ritus actioneſque deſcripſiſſe dicendus eſt , tùm quia hanc deſcriptionem fusè, ac diſtinctiſſimè inſtituit , qui autem ſic deſcribit , præcipua non omittit , tùm quia laudare hìc intendit is Auctor Romanam Eccleſiam ex retenta tota actione publicæ pœnitentiæ . Igitur nihil malignè ſupprimit , ſed exhibet totam pœnitentiam , quæ verè Romæ ab initio , & præſertim quarto , & quinto ſæculo agebatur . At nihil exhibet aliud , quam unius diei ceremonias , & jejunia , aliaſque hujuſmodi abſtinentias , aut pœnitentias partim ſpontaneas , partim juſſas , nempè volentibus , & ſpontè conſentientibus impoſitas , aut cum facultate eas redimendi injunctas, ergo his ſolis tota ejus temporis adeò celebrati pœnitentia abſolvebatur , nec adigebantur Pœnitentes (rariſſimo

aliquo

aliquo caſu excepto) in illis quatuor ſtationibus tam longam, tam aſperam, & luctuoſam agere pœnitentiam . Ergo nec poſt ea ſæcula ſanctiſſima , celeberrimaque ſeverior in praxi fuit publica ipſa, & ſolemnis pœnitentia.

19. Quam verò pauci hanc ipſam non admodum ſeveram pœnitentiam verè peregerint eo quarto, & quinto ſęculo, oſtendi ſupra ex facto Fabiolæ, & teſtimonio S. Auguſtini, aliiſque ex locis, nunc oſtendo ex miniſtro, ſeu judice publicæ pœnitentiæ, qui erat ſolus Epiſcopus, aut ſolus Presbyter Pœnitentiarius, qui pariter erat unicus in quavis Urbe etiam ampliſſima. Igitur ad unum ſolum mittebantur, aut ſe conferebant ſpontè, aut accuſabantur quicunque ea commiſerant, quæ erant per pœnitentiam publicam expianda, iſque ſolus audire omnes debebat, & accuſatos, & accuſatores, & judicium de omnibus ipſe ſolus, aut cum Epiſcopo ferre debebat, & judicium quidem valdè difficilè, vel de delicto judicandum eſſet, vel de pœnitentia imponenda, quæ diverſiſſima erat ex diverſitate delicti, & diverſitate delinquentis, nec penitùs præcepta, nec penitùs cujuſque arbitrio relicta. Quis autem credat, unum hominem in ampliſſimis urbibus potuiſſe audire multos, & multorum

cau-

cauſas tam difficiles expedire? Pauciſſimos eos neceſſariò fuiſſe ſapiens quilibet dicet, ut pauciſſimi modo ſunt ii, quibus forum Principis, aut Eccleſiaſtici, aut ſæcularis graves pœnas infligit, quamvis utrumque plus virium habeat, plureſque cauſas complectatur, quàm complecteretur olim forum ſolemnis, & canonicæ pœnitentiæ.

20 Valdè paucos ſimiliter fuiſſe eos, qui poſt quintum, aut ſextum ſęculum in Ordinem pœnitentium fuere compulſi, aut cooptati, oſtendam modò, quamvis ex dictis facilè colligi poſſit, non enim major fuit in Eccleſia poſt quintum ſęculum diſciplina Pœnitentiæ.

Per hæc tempora, nempè ſexto aut ſeptimo ſæculo ſcripti videntur antiquiores illi qui extant libri Rituales, ſeu Sacramentarii, & ſacrorum Officiorum Ordines. In his autem ſub eo titulo *Ordo agentibus publicam pœnitentiam*, Epiſcopus, aut Presbyter pœnitentiarius in hunc modum inſtruitur, *Suſcipis eum* (nempè pœnitentem) *quarta feria mane in capite Qubdrageſimæ & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini*. Loca autem, in quibus includebantur Pœnitentes, domus erant Templo proximæ, vel conjunctæ, ad ipſum Templum pertinentes, dictæ

æraria

æraria Eccleſiæ, Secretaria, Diaconia, & Catechumena, ut ea vocat Gregorius II. ad Leonem Iſauricum ſcribens, & pias pœnitentium in his locis clauſorum exercitationes deſcribens, ut retuli in Clerico Rom. lib. 1. diſp. 10. num. 7. Conſtat autem, hæc loca non fuiſſe admodum ampla, nec niſi valdè paucos potuiſſe toto tempore Quadrageſimæ ſic includi, ut ingens non eſt eorum numerus qui modò eodem tempore in religioſam domum, in qua ſacris meditationibus, & exercitiis excolant animum, ſecedunt. Cum autem id fieret olim ſolo tempore Quadrageſimæ, jam pauciſſimi illi erant qui hanc ipſam non plurium annorum, ut Canones ſtatuerant, ſed paucarum hebdomadarum, & quadraginta dumtaxat dierum ſtrictiorem pœnitentiam profitebantur.

Is autem mos includendi pœnitentes earum Eccleſiarum fuit, in quibus magis viguit diſciplina pœnitentiæ, eâque, ut crediderim, occaſione inductus, quod Pœnitentes domi ſuæ, ſuoque arbitrio relicti injunctas jejuniorum, vigiliarum, & precum pœnitentias aut omitterent penitus, aut negligerent. Hinc autem non temere colliges, omiſſam facilè fuiſſe, aut neglectam eam tot annorum, & jejuniorum pœnitentiam, cùm domi ſuæ liberè erat peragenda.

21 Sub initium ſęculi ſexti, ut ſupra notavi, floruit S. Cæſarius Epiſc. Arelat. ex cujus homiliis colligitur manifeſtè, non fuiſſe tunc eos qui deliquerant ad canonicas pœnitentias compulſos; non enim, ſi hoc factum fuiſſet, tanta fuiſſet in pleriſque conſuetudo peccandi graviſſimè, quantam fuiſſe idem refert homil. 4. ex 12. vulgatis à Baluzio, dicamque ſuo loco. Ex iis etiam quæ habet homil. 2. agens de illis qui ad finem vitæ pœnitentiam differebant, conjicitur clarè, fuiſſe tunc cujuſque arbitrio relictam canonicam pœnitentiam. Imò expreſsè hom. 1. loquens de illis qui ea die ab ipſo petierant, & obtinuerant publicam pœnitentiam qui videlicet antea *impudentiſſima fronte* peccarant, ut ipſę dicit, hęç habet. *Et ille quidem qui pœnitentiam publicè accepit*, *POTERAT* eam *SECRETIUS agere*, *ſed*, *credo*, *conſiderans multitudinem peccatorum ſuorum videt ſe contra tam gravia peccata ſolum non poſſe ſufficere*, *& ideò adjutorium totius populi cupit expetere*, adiutorium videlicet orationum, & ideò poſtea hortatur populum, ut oret pro Pœnitentibus. Igitur etiam qui graviſſimè, & impudentiſſime peccarant, *poterant* non agere eam in cinere & cilicio pœnitentiam, quam Canones imponebant.

Verum tamen eſt, debuiſſe eam peragi, & qui-

quidem ad amuſſim, poſtquam quis ſponte eam ſuſceperat, hinc idem Cęſarius eos alloquens qui publicam pœnitentiam petierant, & ſuſceperant, monet, ut *vinum, ſi non permittit infirmitas, non accipiant*, ſubditque. *Sunt aliqui pœnitentes qui ideò citò reconciliari volunt, ut carnem accipiant. Certum eſt, quod non ſatis compunctè pœnitentiam accipit qui carnem nulla infirmitate cogente, aut deſiderat, aut præſumit accipere; & ideò etiam reconciliatus pœnitens ubicunque aut in ſuo, aut in alieno convivio olera, aut legumina, aut piſciculos invenire potuerit, aliam carnem non debet accipere. Hoc ideò dico, quia, quod pejus eſt, ſunt aliqui pœnitentes, qui carnem cum grandi aviditate accipiunt, & vinum forte aliquoties uſque ad ebrietatem bibunt.*

Hoc textu confirmatur, quod monui lib. 1. cap. 6. videlicet, Pœnitentes in Eccleſia veteri conflaſſe quendam Ordinem ſimilem religioſis Ordinibus, ac proindè ſpontaneam fuiſſe Canonicæ pœnitentiæ profeſſionem, ut eſt horum Ordinum profeſſio; at eâ ſemel ſusceptâ initio Quadrageſimæ ex manibus Epiſcopi, debuiſſe ejus leges cuſtodiri; ut emiſſa profeſſione Ordinis e. g. Franciſcani, debent ejus leges obſervari. Ex quibus collige, Canones pœnitentiales fuiſſe pręcepta & minimè fuiſſe; fuere

iis qui publicam pœnitentiam ſuſceperant, iis verò qui non ſuſceperant, fuere ſola conſilia, exceptis aliquibus caſibus, quos aliàs excepi: cùm enim hoc diſcrimen eſſet inter hunc Ordinem & reliquos Ordines, quod, cùm in Ordine Pœnitentium non obligaretur (ut plurimùm) quis manere perpetuò, ut in reliquis Ordinibus manere debet qui ſemel admiſſus eſt, ideò quamvis nemo cogatur hos ingredi, cogebantur tamen aliquando qui publicè, & cum magno ſcandalo deliquerant, ingredi hunc Ordinem Pœnitentium. At hoc raro factum fuit ut colligi poteſt ex homilia decima ſexta Sancti Eligii.

22 Is ſęculo ſeptimo ſuam Eccleſiam Noviomenſem excolebat ſanctiſſimè, nihil diſſimulans, quod eſſet per leges Eccleſiaſticas vindicandum. Adhuc tamen eo anno, quo prædictam homiliam habuit, ſolos duos publicè pœnitere coactos reconciliavit, ut fieri ſolebat, in die Cœnæ Domini, ſic enim habet. *Duos præterea fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pœnitentiam &c.*

23 Forte plures fuere ſęculo octavo; nam Carolus Magnus, ut habetur in Capitularibus anni 789. decrevit, ut qui pœna capitis plecti debuiſſet propter quędam crimina ibi enumerata,

rata, eâ pœnâ abſolveretur, ſi latenter deliquiſſet, & ſpontè confeſſus Sacerdoti injunctam ab eo pœnitentiam ſuſcepiſſet. Hos tamen ipſos crediderim non ita facilè ſe publicæ pœnitentiæ ſubjeciſſe, ne delicti à ſe clanculum commiſſi ſuſpicionem facerent. Certè hoc ſæculo S. Bonifacius Germaniæ dictus Apoſtolus commendatur ex benignitate in Pœnitentes, & ex capitularibus an. 744. aliiſque ejus decretis colligitur, ei hanc praxim, quæ modò viget, minimè diſplicuiſſe.

24 Sęculo nono Jonas Aurelianenſis Epiſcopus vix ullum conſueviſſe tunc publicam, & canonicam pœnitentiam ſuſcipere, teſtatur, & queritur lib. 1. de Inſtitutione Laicali cap. 10. *Priſcis religionis noſtræ temporibus dum quis ſecundum conſtitutum ſibi à Sacerdote uſque ad ſatisfactionem cilicio indutus, & cinere conſperſus, habitu incultus, humi proſtratus, lacrymiſque profuſus videbatur, ſtatim pœnitens eſſe agnoſcebatur, utque ei à Domino ignoſceretur, ab omnibus depræcabatur. Nunc autem in cœtu Chriſtiano idcirco vix pœnitens agnoſcitur, quia pœne nihil horum erga pœnitentes agitur . . . PERRARI namque ſunt hodiè in Eccleſia qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & authoritas canonica ſancit. Quis namque cri-*

minis reus, qui utique pœnitentiâ publicâ debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & à liminibus Eccleſiæ, cœtuque Fidelium arcetur, & à Chriſti corpore ſeparatur? Quis porrò in cinere, & cilicio more pœnitentium antiquorum lamenta pœnitudinis ſuſcipit?

Hic velim, aliqua mecum expendas notatu digniſſima. Et primò Jonas queritur, quòd perrari tunc eſſent qui canonicè pœniterent. At cur id permittebat? Cur criminoſos ad canonicam pœnitentiam non compellebat? Hanc (ut puto) ſolam afferes cauſam, quod compelli non ſolerent, niſi perrarò, cùm videlicet atrociſſimè deliquiſſent.

Secundò Jonas non queritur, quòd perrari ſeptennio aut decennio toto, jejuniis, vigiliis, aliiſque pœnitentiæ laboribus exercerentur, ſed quòd perrari in cinere & cilicio, ut in die cinerum fieri conſueverat, pœnitentiam ſuſciperent, perrari arcerentur à Templis, à cœtu Fidelium, & ab Altaris ſacramento. Ergo his duobus tantùm tota pœnitentia canonica conſtabat, eamque ipſam ita temperatam ſubire tunc populi recuſabant.

Tertiò queritur Jonas quod perrari tunc canonicè pœniterent *in Eccleſia*. Igitur malum commune id erat, malum *Eccleſiæ* ſaltem Gallicanæ. Hinc facilis conjectura eſt quid factum

fue-

fuerit in reliquis Eccleſiis minus ſeveræ diſciplinæ, quidve factum fuerit reliquis tribus ſæculis decimo, undecimo, & duodecimo, quibus longè minor fuit, ut ipſi noſtri Adverſarii dicunt, amor & cura canonicæ pœnitentiæ. Fuit igitur à me dictum veriſſimè initio hujus capitis, perpaucos fuiſſe ſemper ad eam tam longam & aſperam canonum pęnitentiam compulſos, & paucos, aut etiam pauciſſimos eam qualemcunque publicam, & paucarum tantùm hebdomadarum pœnitentiam in cinere, & cilicio ſubjiſſe.

CAPUT XVII.

Objecta quædam ſolvuntur, multoſque decipi, dum antiqua tempora laudant, oſtenditur.

1 CLER. Pace tua dicam. Jonas à te allegatus diruit quod ipſe coſtruere conaris: nam dicit, priſcis Eccleſiæ temporibus eam luctuoſam pœnitentiam fuiſſe peractam, queritur enim de ſuis temporibus ex eo quod tunc qui deliquerant, non ſuſciperent *in cinere, & cilicio lamenta pœnitudinis more pœnitentium antiquorum*, nec peragerent eam pœnitentiam, *quam antiquorum Patrum exempla, & auctoritas canonica ſanxerat*. Igitur ex Jona pœni-

tentes antiqui canonicam pœnitentiam verè peregerunt.

Canonicam, inquam, quamvis fortè non peregerint multi ſolemnem illam pœnitentiam in eos quatuor gradus diſtributam. Licet enim pœnitentia ſolemnis eſſet canonica, nempè per aliquos Canones ſtatuta, non omnis pœnitentia canonica erat ſolemnis, cùm multi Canones ſolùm imponerent jejunia, aliaſque abſtinentias plurium hebdomadarum, aut menſium, aut annorum, ut ex te didici, non autem ſpectaculum illud pœnitentiæ luctuoſæ in foribus Templi, vel in ipſo Templo ſub pedibus Sacerdotum. Videris autem oſtendiſſe hoc tantum, quod pauci peregerint hanc ſolemnem, quod Adverſarii non negabunt, dummodò evincant, verè peractam à multis fuiſſe canonicam pœnitentiam.

Hanc autem fuiſſe verè multis impoſitam, ſaltem in foro externo verèque peractam, non videris alibi negaſſe, dum hanc ſeveritatem à ſolo interno foro ablegandam & ablegatam olim fuiſſe probaſti. Nec videtur poſſe negari, cùm vetus Eccleſia tanquam valde ſevera ab omnibus prędicetur. Si ergo non fuit in interno, fuit ſaltem in foro externo: ergo ſaltem in hoc fuere pœnitentes ad eas tam aſperas pœnitentias compulſi.

De-

Demum recitaſti ipſe lib. 1. multas Conciliorum, & Pontificum ſententias, quibus verè fuere multi ad hujuſmodi multorum annorum graviſſimam, imò etiam luctuoſam, & ſolemnem pœnitentiam compulſi. Ergo & Jonas quem allegaſti, & quod ipſe alibi docuiſti, diruit, ut dicebam, quod paulò ante firmare contendiſti. Hęc mihi moleſtiam faciunt: nec, ut arbitror, ægre feres, quòd objecerim: fęci enim ex amore ſciendi, non ex cupiditate pugnandi.

Auct. Imò ut facias, & ſępè facias, velim omninò; nihil enim doctrinam magis illuſtrat, quam adverſarius ſolidè impugnans, & doctor clarè reſpondens. Primum ipſe feciſti, alterum ego facere conabor.

2 Utque incipiam ab ea diſtinctione pœnitentiæ canonicæ ſolemnis, & pœnitentiæ canonicæ non ſolemnis, nolo modò expendere, an omnis pœnitentia canonica fuerit ſemper aliquo modò ſolemnis. Id certum eſt, ſaltem tertio quarto, & quinto ſęculo pœnitentiam impoſitam per Canones fuiſſe ſolemnem, nempè in eos diverſos gradus, & cęremonias diſtributam. Id certè non negabis, ſi quos ſupra recitavi eorum temporum Canones, recoles. Jam ergo concedes, prędictis tribus ſæculis rarò fuiſſe impoſitas, & vix unquam totas pera-

ctas

ctas canonicas pœnitentias. Ergo idipſum poſtea factum fuiſſe concedes; tum quia ſeverior poſtea non fuit diſciplina pœnitentiæ; tum quia, ſi Canones, qui imponebant pœnitentiam ſolemnem, fuerunt benigna interpretatione recepti, dicendum eſt, ſimili modò fuiſſe receptos reliquos, qui pœnitentiam tam aſperam, & in praxi adeo difficilem, quamvis non ſolemnem, imponebant. Idque verè evincunt argumenta, quæ attuli, utpotè quæ petuntur ex iis quæ communia ſunt cuivis pęnitentiæ canonicæ, vel ſolemnis ſit, vel non ſolemnis, cum omnis pęnitentia canonica eſſet aliquo modò publica, perardua, & clam peccantibus nimis odioſa, imò multis pernicioſa.

3 Hinc illæ, quas recitavi eo cap. 9. lib. 1. Pontificum ſententiæ, alięque ſimiles, quas afferre poteram, multæ non ſunt, ſed perpaucæ pro tot ſęculis, quæ ibi percurro, nec impoſitæ pro delictis occultis, ſed manifeſtis, enormibus, & plerumque dignis pęnâ capitis, poſcentibus Epiſcopis, aut aliis principibus viris, ut reus plecteretur, aut reo ipſo poſcente pœnitentiam, quæ tamen ipſa quamvis ſeverè impoſita, non tamen ſeverè exigebatur, nec, ſaltem tota, peragebatur, iis ipſis qui eam impoſuerant, remittentibus, aut minuentibus, aut præbentibus aliis facultatem, ut eam remitterent,

rent, vel ejus acerbitatem temperarent. Viginti ſeptem annorum pęnitentiâ dignum eſſe Presbyterum Presbytericidã pronuntiavit Alexander II. ipſe tamen dimidium condonavit, & quatuordecim dumtaxat annorum pœnitentiam indixit (ut conſtat ex ejus ſententia, quam lib.1. cap.8. recitavi) & rursùs Almagerio Epiſcopo permiſit, ut eum rite pęnitentem, poſt tres annos omni onere liberaret. Sic refert Ivo part.10. cap.14. Igitur viginti ſeptem annorum pęnitentia ad tres annos redacta fuit, nec damnabor judicii temerarii, ſi credam, ad minus etiam tempus redactam ab Epiſcopo fuiſſe, ex ea commiſeratione, qua tangimur erga reos alieno judicio damnatos, eoſque jam pœnitentes flenteſque, & ex facultate, qua jam gaudebant Antiſtites, moderandi, cùm expedire putarent, pęnitentias impoſitas, ut teſtatur Ivo epiſt. 176. qua facultate fiebat, ut quamvis ſeveri eſſent Canones Conciliorum, & ſententiæ Pontificum, praxis tamen benigna eſſet, nec pęnitentiæ peragerentur penitùs, quamvis aliquando imponerentur. Cæterum ſi ex prædictis Pontificum ſententiis ingens eorum temporum rigor colligi poſſet, idem ingens rigor etiam poſt ſæculum duodecimum (quod tamen negant omnes) permanſiſſet, cùm etiam ſæculo decimo tertio, & poſtea ſimilium ſententiarum

rum fulmina in aliquos inſigniter reos culmen Vaticanum excuſſerit, eiſque graviſſimas pœnitentias irrogarit, quas eodem cap. 8. recenſuimus; Quin etiam præſens ætas eſſet ex ingenti rigore diſciplinæ celebranda, cum etiam modò qui præſertim contra Fidem, & Religionem atrociùs, & cum aliorum ruina peccant, per menſes, & annos jejuniis, quin etiam arcto carcere, aliiſque gravibus pœnis, & ſolemnibus pœnitentiis apud ſacrum Fidei tribunal caſtigentur.

4 *Cler.* Nequit certè ex ſolis illis Pontificum ſententiis conjici rigor antiquus, ut quidam non ſatis ſcitè collegerunt, at optimum argumentum eædem ſententiæ conficiunt, ſi cum eis jungantur tot ſeveriſſimi Canones pęnitentiales eodem tempore conditi, vel confirmati.

Auct. Nec iſti ſimul juncti quidquam evincunt, eo quòd (ut dicebam, & multis totius antiquitatis teſtimoniis probavi) pęnitentiæ per ipſos ſtatutæ aut non imponebantur, aut non ita imponebantur, ut eſſent penitùs peragendæ.

Cler. Cur ergo Patres per plura ſæcula eos Canones confirmarunt, & renovarunt? Cur eas pęnitentias ſtatuerunt, quas aut non imponi, aut non peragi videbant?

Auct. At peto ex te, cur in iiſdem Conciliis

ciliis tam ſæpè renovant Patres Canones priores circa vitam Clericorum, & circa reliquam diſciplinam, quos tamen obſervatos minimè fuiſſe, conſtat, & infra probabo? Nimirum eos propterea renovabant, quòd minimè obſervari cernebant. Rusùs peto ex te, cur tot nova præcepta, tot leges novæ, tot edicta prodeunt quotidie, quæ tamen non obſervantur? Nimirum vim facere ſæpè Princeps non vult, nec uti ſummâ poteſtate, cùm præſertim quod indicitur, eſt valde arduum, & Princeps indicens eſt Eccleſiaſticus, cujus regimea regium quidem eſt, ſed ſuave, quale decet eſſe Paſtoris, Doctoriſque. Quamvis autem cogere Paſtor nolit, legibus tamen urgere non deſinit, ut faciat quod poteſt, ut oſtendat deſiderium ſuum, ut, ſin minus totum, quod vellet, aliquid ſaltem obtineat. Id faciebant Patres per eos Canones aut conditos tam ſæpè per aliquot ſæcula, aut renovatos. Satisfaciebant deſiderio quo æſtuabant, ut omnes condignam pro delictis pęnitentiam agerent, oſtendebant pęnitentibus quam gravia eſſent ea delicta, quæ etiam remiſſa tam gravem pęnitentiam merebantur, & ſin minùs totum quod optaſſent, ſaltem partem obtinebant. Septem e. g. annos jejunandum adulteris indicebant, non ut omnes ſeptennio toto jejunarent, ſed ut omnes adulterium perhor-

horreſcerent, aliqui ſeptennio toto jejunarent, aut jejunare conarentur, aliqui ſeptem menſibus, aliqui ſeptem diebus, aliqui demum jejunium, religionis, aut miſericordiæ operibus redimerent.

5 *Cler.* Igitur etiam modò ad hos fines, qui certè optimi ſunt, renovandi hi Canones erunt.

Auct. Non reſiſto. Renoventur: ſed ad hos fines tantùm, non verò, ut canonicæ pęnitentiæ in foro interno à Confeſſariis imponantur, & exigantur: jam enim nullus aut fere nullus ad hoc forum accederet, aut coactus accedere graviora celaret, quod eſſet ingens malum & longè majus eo bono, quod ex horum Canonū inſtauratione poteſt exiſtere. Imò quia ſimpliciter renovati videri poſſent renovati ad hunc etiam finem, ut illæ pęnitentiæ, aut paulò minores imponantur, vel renovandi nullo modò erunt, vel cum ea expreſſa ſignificatione, qua conſtet, eos ad hunc finem non inſtaurari, ſed unicè ut excitentur, vel excitent ſe Pęnitentes ad ſumendam graviorem de ſuis culpis pęnam, & majorem vindictam.

De rigore autem fori externi non laboro, dummodo is etiam non ſit is qui redundet in forum internum, quique noſtram Religionem faciat nimis onerofam, & populis odioſam:

cujus

cujus mali timor, ut reor, effecit, ut in ipſo etiam foro externo rigorem Canonum prædictorum Epiſcopi plerique temperarint, nec ſemper prohibuerint eos abſolvi, qui pro delictis etiam publicis, & ad externum forum delatis eas tam longas pęnitentias peragere recuſabant, dummodo profiterentur, ſe publicè emendatos & pęnitentes, ut aliqui initio Quadrageſimæ in cinere & cilicio profitebantur; deque his loquitur Jonas in verbis allegatis, & fortè etiam de aliis qui ſpontè, ſeu inducti quidem, ſed non compulſi, & coacti ſtadium intrabant pęnitentiæ ſeverioris, quorum numerum aliquem, nunc majorem, nunc minorem in veteri Eccleſia extitiſſe, non nego, ſed nego fuiſſe à Confeſſariis ad id compulſos. Ordo fuit is (ut alibi non ſemel monui) & cœtus quidam ex his conflatus, qui ſpontè, plerumque eam luctuoſam ſue aſperam pœnitentiam peragebant, & ideò precibus, ut eum ingredi liceret, expoſcebant, deſiitque penitus, cùm cœperunt inſtitui Ordines religioſi ſeveriſſimæ diſciplinæ, quos intrarunt qui fuiſſent ad canonicam pœnitentiam compellendi, vel qui ſponte prioris vitæ culpas aſperiori pœnitentia delere voluerunt.

6 *Cler.* Igitur (quod initio objiciebam) rigidior non fuit vetus Eccleſia, nec major fuit

in

in ea amor pœnitentiæ, quam modò ſit?

Auct. Id non ſequitur ex dictis, ut aliàs monui. Potuit enim eſſe rigidior Eccleſia vetus, quin ſæpè compulerit eos qui publicè deliquerant, aut fuerant accuſati, & convicti, agere multorum annorum pœnitentiam. Potuit eſſe major amor pœnitentiæ, quin tantus fuerit, ut multi pro quovis crimine ſtatutas Canone pœnitentias peregerint.

7 Cæterùm (ut dicam quod ſentio, quodque ſatis innui in Cler. Rom.) vetus Eccleſia rigidior fuit, & non fuit, quàm ſit Eccleſia præſens. Rigidior circa aliqua fuit, non item circa alia; rigidior in aliquibus regionibus, & quidem in foro interno, rigore tamen parum felici, ut oſtendi in eodem Cler. lib. 2. diſp. 11. In aliis autem regionibus benignior, in quibus videlicet vix ullus legitur ad luctuoſam illam pœnitentiam compulſus, aut illi ſoli qui per canonicam pœnitentiam pœnam capitis redimebant, quam ſanè redemptionem non recuſarent modò qui pœna capitis plecti debent, ſi eos Principes donarent Eccleſiæ. Habuit Eccleſia vetus plures leges & Canones, quibus qui deliquere, ad officium, & bonam frugem revocarentur. Habet Eccleſia præſens plures leges, quibus qui nondum deliquere, in officio contineantur. Igitur uno genere legum rigidior illa,

hæc

hæc alio. Demum habuit illa rigidiores Canones pœnitentiales, cùm vix habebat aliud, quo malos terreret, præter Canones. Hæc habet Canones minus rigidæ pœnitentiæ, cùm aucta viribus & opibus habet alia, quibus malos abſterreat, præter Canones. Igitur uno genere rigoris illa rigidior, hæc alio.

8 Similiter amor pœnitentiæ major olim fuit, & major non fuit. Major in aliquibus, qui abdicatis ampliſſimis patrimoniis, aut regnis ipſis, in ſubterraneis ſpeluncis, vel ſuper altiſſimas rupes totum vitæ tempus dedere lacrymis, & jejuniis (quamvis etiam ſequens ætas aliquot iſthæc exempla proferat) at minor fuit in communi populi cœtu.

Cler. At unde tam diverſa perſuaſio in pleriſque, putantibus, & perpetuò dicentibus, amorem pœnitentiæ fuiſſe olim tam fervidum, eumque tam communem?

Auct. Afferam hujus erroris cauſas duas, faciamque, ut in poſterum erres minùs, minùſque mireris, quòd tam multi errent, dum plùs juſto præſentem diſciplinam deprimunt, & antiquam attollunt.

9 Prima hujus erroris cauſa ea eſt, quod, ut alibi indicavi, plerique ex legibus, tanquam ex indicio certiſſimo, judicant de moribus, & ex factis aliquorum, judicium ferunt de factis

totius multitudinis. Cùm ergo canones antiqui pœnales, pœnitentialeſque magnam ſeveritatem præſeferant, & aliquorum ſeveriſſimæ pœnitentiæ referantur, ſtatim colligunt, ſeveriſſimam quoque fuiſſe communem praxim. Facit autem, ne hujus collectionis vitium facile cognoſcant, propenſio quædam celebrandi omnia quæ antiqua ſunt.

Hæc autem eſt altera (ſi tamen prorſus altera eſt) prædicti erroris cauſa, nempè amor quidam, ac ſtudium celebrandi tempora, quæ præceſſere: ſeu amor is ſit erga majores noſtros, quorum beneficiis fruimur, ſeu odium quoddam in æquales, quorum vitiis offendimur. Id facit, ut horum decora facilè minuantur, eorum verò amplificentur, nec expendantur ſubtiliter quæ fortè dubia ſunt, ſed ſtatim laudi tribuantur. Habes hujus rei manifeſtum exemplum in ea multorum perſuaſione, quod veteris Eccleſiæ Fideles quotidiè, aut ſaltem frequentiſſimè, per plura ſæcula communicarint, quam opinionem falſam eſſe manifeſtis argumentis oſtendi cap. 2. Ut autem in hoc decepti tam multi fuere ex cauſis prædictis, ſic ex iiſdem cauſis decepti alii fuere, dum antiquam ſeveritatem attollunt.

Cler. Non decipiuntur certè, qui dicunt, mores Fidelium olim fuiſſe meliores, majorem vi-

viguiſſe in Eccleſia diſciplinam . Hoc enim dicunt omnes . At cur mores fuere meliores, niſi quia,qui delinquebant,ſeveriſſimè puniebantur?

Auct. Imo verò is eſt alius tuus, aliorumque error.

Cler. Igitur errant omnes ?

10 *Auct.* Nimium ineruditi, qui nullam aliam antiquitatis Eccleſiaſticę notitiam habent, quàm eam, quę colligitur ex ſacris Oratoribus quos audiunt, ex feſtis Sanctorum, quorum memoriam celebrant, ex eorundem vitis, quas legunt; non quia hęc quę numeravi, falſum aliquid referant, aut contineant, ſed quia ab his, aut in his fit mentio eorum dumtaxat, quę fuerunt à veteris Eccleſię Fidelibus piè, & ſanctè geſta, hinc enim fit, ut qui ea tantùm legunt, vel recolunt, vix mali aliquid commiſſum tunc fuiſſe putent, omneſque aut ferè omnes fuiſſe autument juſtos, religioſos, ſanctos. Secùs judicant, qui horum ipſorum temporum Scriptores legunt.

Cler. Hos legunt etiam ii, qui ea tempora celebrant: Imò ipſi lectionem Patrum aliorumque, qui de ſacra antiquitate ſcripſerunt, præ cæteris profitentur.

Auct. An faciant quod profitentur, diſces modò? Ego enim ex Patribus potiſſimùm, iiſque Scriptoribus, quos prędicti Doctores re-

cipiunt, & laudant, oſtendam, quę tunc diſciplina viguerit, qui fuerint mores Fidelium eorum temporum, quæ celebrantur. Sic autem non ſolum argumenti, quod modò proponebas, fundamentum evertam, ſed ipſe argumentum conficiam, quo probem invictè, veteris diſciplinæ, ac decantatæ pœnitentiæ Canones, non fuiſſe uſu Epiſcoporum, populorumque ita receptos, ut ea facta fuerint, quæ per ipſos injungi videntur: hæc enim ſi facta fuiſſent, alia fuiſſet diſciplina communis, alii mores Clericorum, Laicorumque.

11 Dum autem deſcribo, quæ fuerint veteris Eccleſiæ leges, quæ diſciplina, qui mores, non loquor de ea Eccleſia antiquiſſima, quam naſcentem vocamus, ſeu primitivam, ſed de ea quæ fuit à ſæculo tertio, quam aliqui tam effusè laudant ex ritibus, ex moribus, ex diſciplina univerſa, & potiſſimum pœnitentiæ. Hanc autem ipſam in multis præfero Eccleſiæ pręſenti. Non enim me latet eam pręſtare numero Martyrum, gloriâ Doctorum, virtute Virginum quę de Tyrannis, ſuoque ipſo ſexu mirabiliter triumpharunt. Divinâ ſiquidem providentiâ factum fuit, ut cùm in multis abundavit iniquitas, multorum quoque ſanctitas abundaret. Adhuc tamen ſua pręſenti Eccleſiæ laus eſt, ut intelliges ex iis quæ modo referam de antiqua.

CA-

CAPUT XVIII.

Quæ fuerit antiqua legum diſciplina? Qui uſus?

1 DIſciplina ſubindè accipitur pro legibus, hinc ii, qui leges tradunt, dicuntur tradere diſciplinam, quique eas rejiciunt, dicuntur rejicere diſciplinam, quo ſenſu Eccleſiaſtici 7. dicitur Deus creaſſe primos noſtros parentes, eiſque *addidiſſe diſciplinam*, nempe legem, & præceptum.

Optimis abſque dubio legibus modò Eccleſiam regi non eſt dubium. Optimæ quoque, pro tempore, antiquę ejus leges fuere, ſed non optima ſemper fuere tempora, & ideò fuere aliqua permittenda, & permiſſa alicubi fuere non optima, quæque poſtea fuere tollenda, & fuere ſublata; cùm videlicet invehi potuit non optima ſolum pro tempore non optimo, ſed optima pro meliori, aut etiam pro optimo tempore diſciplina.

Hęc autem pręſentis Eccleſię eſſe (non dico facta) ſed tempora meliora, aut etiam optima, ex hoc ipſo colliges, quod multa fuere reſecta, fortè non ſatis bona, certè non optima, quę fuere ſolum pro tempore non ſatis ęquo permiſſa. Iis autem ſublatis quantum

Digitized by Google

Eccleſiaſtica diſciplina profecerit, ex his quæ afferam (poſſem autem afferre multò plura) facilè intelliges.

Incipiam à Baptiſmo, unde incipit noſtra Religio, & unde ſimile argumentum incępi capite 10.

Olim, etiam poſtquam deſierant Tyrannorum perſecutiones, multi quamvis rite inſtructi, probatique, baptiſmum, ut milles audiiſti, in multos annos differebant. Quantum in hac dilatione periculum?

Olim, nempè totis ferè quatuor primis Eccleſię ſęculis (ut conſtat ex Concilio Carthag. tertio,& ex Card.Baron. ad an.34. n.61.) poſt cęnam Sacrificium offerebatur, & Fideles communicabant: ſacra autem Hoſtia non imponebatur ori communicantis, ſed manui, ut is de manu ſua illam acciperet, ut patet ex Cypriano lib. de lapſis, Baſilio epiſt. ad Cęſariam Patriciam, Chryſoſtomo hom. 21. ad populum Antiochenum, Auguſtino lib. 2. contra litteras Petiliani, aliiſque. Poterat etiam Euchariſtia ab itinerantibus ſecum deferri, domi conſervari, ad alios mitti, ut conſtat ex S. Irenęi epiſtola ad Victorem Papam apud Euſebium lib. 5. cap.24.S.Heronymo epiſtola 4.ad Ruſticum, S. Ambroſio lib. 1. de exceſſu Satyri fratris ſui. Quam ſalubriùs hęc fuere ſublata propter pericu-

ricu-

riculum, aut irreverentiæ, aut abuſus? Ad curandas etiam corporum plagas Euchariſtia adhibebatur, ut patet ex S. Auguſt. lib. 3. operis imperfecti contra Julianum. Quin cum ea mortui ſepeliebantur, ut conſtat ex Ænea Pariſienſi Epiſcopo in libro adverſus Græcos Spicilegii tom.7.pag.81. & S.Gregorio Dialogorum lib.2. cap. 24. Quàm conſultiùs id poſtea vetitum à pluribus Conciliis fuit, inter quæ Carthaginenſe ſextum Can. 83. *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam impertiatur: ſcriptum eſt enim, Accipite & comedite, Cadavera autem, nec accipere poſſunt, nec comedere.* Diù tamen is mos obtinuit etiam apud viros cordatos.

3 Olim Sacerdotibus permiſſum fuit, ut plures eâdem die Miſſas celebrarent. Hinc Regino lib. 1. de Eccleſiaſtica diſciplina inter alia, quæ ab Epiſcopo Parochias viſitante inquiri jubet cap.33. recenſet, *ſi ſtatuto tempore ideſt circa horam tertiam diei Miſſam celebret: & poſt hæc uſque ad medium diem jejunet, ut hoſpitibus, atque peregrè venientibus, ſi neceſſe fuerit, poſſit Miſſam cantare.* Refert Walfridus Strabo lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 21. *Leonem Papam una die ſeptem, vel novem Miſſarum ſolemnia celebraſſe.* S. Udalricus Auguſtanus Epiſcopus, qui circa milleſimum floruit, *Miſſas tres, aut duas, aut unam ſecundùm ſpatium*

temporis cantare quotidiè non deſiit, ut habent ejus Acta ſæculo 5. Benedictino. S. Elphegus Cantuarienſis Archiep. anno 1012. Martyrio coronatus bis per ſingulos dies rem divinam facere ſolebat, ut teſtatur Obſernus in ejus vita apud Bollandum 19. Aprilis. Duas etiam S. Aybertus Miſſas quotidiè peragebat, unam pro vivis, alteram pro defunctis, apud eundem Bollandum 7. Aprilis. *De celebrandis verò Miſſarum ſolemniis*, inquit Petr. Dam. lib. 5. ep. 18. *nos hanc conſuetudinis regulam in diſciplinatis Eccleſiis, & didicimus, & tenemus, ut calicem differamus in Miſſarum fine perfundere, ſi noſmetipſos eodem die ſacrificium denuo ſperamus offerre; alioquin quandocunque ſacras Hoſtias immolamus in fine calicem ſemper ex more perfundimus*: ſed non omnes Sacerdotes, aut Leonis, aut Udalrici, aut Elphegi, aut Ayberti, aut Petri Damiani innocentiam ad Altare afferebant: imò non deerant, qui hac facultate offerendi plura ſacrificia abutebantur, quos ſugillat auctor Vitæ S. Thomæ Cantuarienſis Archiep. cap. 11. ubi ſic legitur. *Illos autem in præſentiarum, nec memoratu dignos, non Chriſti, ſed mammonæ Sacerdotes prætereo, qui propter oblationum quæſtum unam Chriſti, & ſemel oblatam hoſtiam quotidiè non ſemel, ſed libentiùs iterum non tam conſecrant, quam*

dila-

dilaniant, Filium Dei quæſtui habentes, & oſtentui.

4 Non auſim quidem dicere, ex eadem lucri cupiditate ortum in Galliis fuiſſe illum uſum celebrandi ſub uno canone plures Miſſas, quæ quodammodo æquivalerent pluribus Sacrificiis. Certum tamen eſt, eum poſtea fuiſſe ab iiſdem Galliarum Eccleſiis rejectum. *Ante pauca quoque ſæcula* (ita ſcribit Gregorius Caſſander in Præfatione ad Ordinem Romanum) *in Galliis multum uſitatæ fuerunt Miſſæ vulgò dictæ bifaciatæ, trifaciatæ, quadrifaciatæ, videlicet cùm plures Miſſæ diverſi argumenti uſque ad Offertorium ſæpius iteratæ tandem uno Canone concludebantur, adverſus quas ſtudiosè ſcribit Petrus Cantor in Verbo abbreviato.*

5 In eodem Regno Gallicano maximè viguit ea conſuetudo celebrandi Miſſas ſiccas, ſic deſcriptas à Guidone de Monte Rocherii in Enchiridio Sacerdotum tract.4. cap. 7. *Approbo iſtam conſuetudinem quæ ſervatur in aliquibus Eccleſiis Gallicanis, quando ſcilicet dictâ Miſſâ, veniunt aliqui peregrini ad aliquam Eccleſiam, ſi non ſit ibi aliquis Sacerdos paratus celebrare, Sacerdos induit ſe ſicut ſi deberet dicere Miſſam, & dicit eis Miſſam de Beata Virgine, vel de Spiritu Sancto, vel de Trinitate,*

vel

vel de illo ſancto, pro quo ſit peregrinatio, non tamen dicit Canonem, nec conſecrat; ſed oſtendit eis reliquias aliquas loco elevationis corporis Chriſti. Et iſta Miſſa vocatur ſicca. Neſcio, an hæc veri ſacrificii imitatio, quæ poterat eſſe populo erroris occaſio, & anſam præbere miniſtris ſimulandi ſacramenta, fuerit uſquequaque laudabilis: hoc ſcio, laudabiliùs poſtea fuiſſe ſublatam.

6 Jam verò à ſacrificio ad ejus miniſtros transeamus. Et primo fuit olim permiſſum, ut qui adhuc erant matrimonii vinculo ligati ſacris Ordinibus initiarentur, nec Diaconi tantùm fierent, aut Presbyteri, ſed Epiſcopi, qui mos diutiſſimè perſeveravit, ut patet ex Gallicanis Conciliis, quæ infra allegabo, aliiſque aliarum Nationum Synodis, & reſponſis Pontificum, in quibus tam ſæpe ſic ordinati redarguuntur, quod ab uxoribus, ut ex lege canonica, ſeu voto debebant, non abſtinerent, ſed filios procrearent.

7 Secundò fuit iiſdem permiſſum domi retinere conjugem, quam converſam vocabant, ut patet ex prædictis Conciliis, ubi communis ipſis lectus, non autem commune tectum interdicitur, imò id aliquando mandatur timore majoris mali, ut conſtat ex epiſt.2. lib.7. Regiſtri Gregoriani.

8 Ter-

8 Tertiò iiſdem alicubi indultum videtur habere domi virginem aliquam velut educandam in ſpiritu, & in virtutibus excolendam, quam ex charitate, agapetam vocabant, veluti ſpirituali amore conjunctam. Quàm verò periculoſum id contubernium eſſet, quàmque juſtè fuerit inde vetitum ſatis indicat S. Hieronymus epiſt. 22. ubi de agapetis virginibus, quas deſcripſi, loquens hæc habet. *Habeant iſtæ hujuſmodi laudatores ſuos, & ſub virginali nomine lucroſiùs pereant; libenter talibus non placemus. Pudet dicere. Proh nefas! triſte ſed verum eſt. Unde in Eccleſiaſticis Agapetarum peſtis introiit? Unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? Imò unde novum concubinarum genus? Plus inferam. Unde meretrices univiræ? Eâdem domo, uno cubiculo, ſæpè uno tenentur & lectulo: & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid extimemus. Frater ſororem virginem deſerit, & cælibem ſpernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum, & cum in eodem propoſito eſſe ſe ſimulent, quærunt aliorum ſpirituale ſolatium, ut domi habeant carnale commercium. Hujuſmodi homines Salomon in proverbiis ſpernit dicens. Alligabit quis in ſinu ignem, & veſtimenta ejus non comburentur?*

9 Quartò permiſſum Subdiaconis in aliquibus Eccleſiis per aliquot ſæcula fuit, ut matrimo-

trimonium contraherent poſt ordinationem; non enim inter ſacros miniſtros ubique cenſebantur. Id patet ex Synodo Laodicena can. 21. & 24. & ex S. Greg. epiſt. 42. lib. 1.

10 Quintò idipſum fuit alicubi, & aliquando Diaconis permiſſum, ut patet ex hoc can. 10. Concilii Ancyrani. *Quicunque Diaconi ordinati in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, oportere ſe uxores ducere, cum non poſſint ſic manere; ii ſi uxorem poſtea duxerint, ſint in miniſterio; eo quod hoc illis ſit ab Epiſcopo conceſſum.* Quam nitet magis præſens Eccleſia rejectis à ſacro miniſterio qui non cogitant, tantùm quæ Domini ſunt? Quàm tutiùs, aut uxorati non conſecrantur, aut uxores conſecratorum intra ſepta monaſteriorum continentur?

11 Hæc autem monaſteria, vel virorum ſint, vel mulierum, quàm melioribns modo legibus gubernantur? Duo ſunt pręcipua capita, ex quibus oritur, aut fovetur Regularis diſciplinæ relaxatio: ea ſunt profeſſio non ſatis libera, & conſuetudo, ſeu converſatio cum externis nimis libera. Onus enim votorum ex ſe grave, cùm neceſſitas imponit, prægrave eſt, & excutitur, aut non fertur patienter, ſed trahitur infructuosè. Conſuetudo autem cum externis clauſtrum vertit in publicum forum; &

reli-

religioſis hominibus aut omnia vitia paulatim afflat, aut deſideria omnium vitiorum.

12 Utrique malo occurrunt modò Canones. Primo malo occurrunt expungentes profeſſionem, quam quis emittit abſque pleno uſu rationis, & libertatis, jubenteſque explorari ab Epiſcopo puellarum, antequam profiteantur, voluntates. Alteri verò malo poſt alia Concilia occurrit ſimiliter Tridentinum pluribus decretis, & præſertim eo capitis 5. ſeſſionis 25. quo Monialium clauſura firmatur utrinque, nimirum ex parte ipſarum, quæ egredi etiam ad breve tempus prohibentur, & ex parte externorum, qui ingredi non permittuntur; occurrunt Epiſcopi, eos à cancellis & cratibus Monaſterii ſubmoventes qui nocere poſſint, aut eas quibus noceri poſſit; occurrunt ipſæ leges quamplurium Monaſteriorum, quibus ſeveriſſimè omnis cum externis conſuetudo interdicitur. Neutrum hoc malum ſatis abſuit olim à domibus Religioſis. Hinc innumera Concilia in Monachos aut vagos, aut profugos mutanteſque ad arbitrium ſuum Monaſteria, aut aulicos, aut Cauſidicos invehuntur, multa ſimiliter Concilia deflent (ut audies poſtea) ſanctimonialium effrænem licentiam, raptus, aut illicita conjugia.

13 Libertati verò profitentium non adeo

favit

favit antiquitas. Qui enim fuerat à parentibus puer oblatus Monaſterio, receptuſque, quamvis per ætatem liberum tunc non haberet arbitrium, factuſque poſtea ſui compos profiteri nollet, permanere in alieno propoſito compellebatur. Sic enim Patres Concilii Toletani quarti ſub an. 633. can. 49. *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad Mundum reverti intercludimus aditum, & omnem ad ſaculum interdicimus regreſſum.* Hunc ipſum Canonem innovat ad verbum Concilium Vormacienſe ann. 868. Hoc idem confirmat Gregorius ſecũdus in ſua ad Bonifacium Moguntinum Epiſcopum epiſtola, & Alexander Papa tertius in parte 50. appendicis ad Concilium Lateranenſe cap. 10. & Clemens Papa tertius cap. cum virum de regularibus. Itaque ſexcentos fere annos obtinuit hæc diſciplina, is uſus patriæ poteſtatis in voluntatem liberorum, quem poſtea ſuſtulerunt, ut dicebam, Canones recentiores, ut etiam illud quod ſubtexo.

14 Cùm aliquis vi morbi de mente dejectus, nec ſui compos aliena voluntate fuerat monaſtico cucullo amictus, ſi deinde convaleſcebat, obſtrictus omninò manebat ad vivendum reliquo vitæ tempore tanquam verus Monachus

nachus in Monaſterio, adeout Hiſpaniæ rex Vamba inſigni pietate, bellica laude, & relatis de exercitibus Saracenorum victoriis inclytus, cùm in morbum incidiſſet, eſſetque inſcius (nam ſenſuum uſum amiſerat) ab adſtantibus Epiſcopis, & regni proceribus pro eorum temporum conſuetudine, monaſtica veſte indutus, re cognità, cùm primùm convaluit, regnum ſuum in Eruigium tranſtulerit, & ſe in Monaſterium abdiderit, ut conſtat ex capite 1. Concilii Toletani duodecimi, in quo etiam generali ſanctione decernitur, neminem, qui in ægritudine, quantumvis in delirium, ac phreneſim lapſus, habitu monaſtico vel pœnitentis fuerit per alium indutus, poſſe, niſi per crimen, & damnabilem apoſtaſiam, habitum ita ſuſceptum dimittere. Quàm juſtiùs modò nemo perpetuæ profeſſionis vinculo adſtringitur ex voto vel facto alieno?

15 Demum quàm meliùs modò ſtatuta, & firmata eſt Antiſtitum & Romani Pontificis electio, ſubmoto Populi tumultu, Principum virorum violentia, eligentium diſcordia, ambitu eligendorum? Id fateantur, oportet, quicunque norunt præteritorum temporum ſchiſmata, & quæ inde fluebant alieni juris uſurpationes, Eccleſiarum invaſiones, Templorum deprædationes, aliaque hujuſmodi mala, qui-

bus

bus tam ſæpè, dum vacabant Epiſcoporum ſedes, vetus Eccleſia conflictabatur.

16 Non debeo hìc alterum ejuſdem præſentis diſciplinæ decus, & laudem ſilentio præterire. Ea eſt conſenſus in legibus, ſeu ritibus, ſeu regulis, ſeu moribus, in quibus ferè omnes Eccleſiæ diſcrepabant, ut dolet Innocentius primus ſcribens ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. *Si* (inquit) *inſtituta Eccleſiaſtica, ut ſunt à beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſuetudinibus haberetur. Sed unuſquiſque non quod traditum eſt, ſed quod ipſi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum; inde diverſa in diverſis locis, vel Eccleſiis aut teneri, aut celebrari videntur, ut ſit ſcandalum populis.*

17 Hæc autem diverſitas fuit etiam in legibus præcipuis, & veluti cardinalibus noſtræ Religionis, quales abſque dubio ſunt illæ, quibus ſacramenta miniſtrantur. Oſtendi part. 1. quam diſcreparint Eccleſiæ in ſtatuendo tempore catechumenatus, & quidem etiam illæ quarum diverſitas oriri non poterat ex diverſa populorum aptitudine ad fidei doctrinam percipiendam, moreſque Chriſtianos induendos. Sed major forte fuit in ipſo Baptiſmo rituum diverſitas.

For-

Formam hujus ſacramenti in qua modò nulla varietas, ter olim repetebant Eccleſiæ Hiſpaniæ, hoc eſt ad ſingulas tinctiones, quod Alcuinus damnat ſcribens ad Paulinum Patriarcham epiſt. 281. Gallicæ id non faciebant, ſed formæ ſemel prolatæ aliquid addebant, & in hoc ipſo diſcrepabant, nam aliquæ hanc adhibebant *Baptizo te illuminatum in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti in remiſſionem peccatorum, ut habeas vitam æternam*. Aliquæ hanc, *Baptizo te credentem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti ut habeas vitam eternam in ſæcula ſæculorum*. Aliæ alias, quas reperies apud prælaudatum Edmundum Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1. cap. 1. art. 14. Quin alicubi fuerunt detracta ea priora verba *Ego te baptizo*, & ea ſola prolata *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

18 Si tanta fuit in forma varietas, quantam fuiſſe credes in ritibus tam multis quibus ſolemne baptiſma confertur? Ut taceam reliquos, mos erat baptizatis, etiam infantibus ſtatim Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare. Id autem non uno ubique modo fiebat, nam in Africa, ut conſtat ex S. Cypr. de lapſis admovebatur calix ſanguinis ori infantis. In Galliis, Hugo Victorinus lib. 1. de ſacramentis cap. 20. *Pueris*, inquit *recens natis idem ſacramantum*

in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt. In Oriente Sacerdos quâ digitum ſuum, quâ folium intinctum ſanguine ſugendum infantibus præbebat, quâ cocleari idem ſacramentum ori puerorum infundebat.

Quàm autem diverſæ eſſent orationes benedictiones, conteſtationes, & quæcunque in Baptiſmi ritibus celebrandis recitabantur, docebit te idem Martene in prædicto ſuo Opere lib. 1. cap. 1. art. 18. ubi non diverſarum tantum regionum, ſed Eccleſiarum ejuſdem regionis, regnique diverſos Ordines & officia leges.

19 Forma ſacramenti Confirmationis in Pontificali Egberti Archiep. qui circa medium ſęculum octavum Eboracenſem Eccleſiam regebat eſt hęc. *Accipe ſignum ſanctæ Crucis chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu in vitam æternam. Amen. Pax tecum.* In ſacramentario Gelaſiano annorum 900. eſt hæc. *Signum Chriſti in vitam æternam. Amen.* In Pontificali mſ. Eccleſiæ Pictavienſis ab annis circiter 800. exarato eſt hęc, *Signat te Deus ſigillo Fidei ſuæ in conſignatione Fidei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In Pontificali Eccleſiæ Caturcenſis circa idem tempus ſcripto legitur hęc, *Confirmo, & conſigno te in ſignũ ſanctæ Crucis in nomine Patris, & Filii, &*

Spi-

Spiritus Sancti. Pax & benedictio Dei ſit ſemper tecum. In Pontificali Remenſi ejuſdem ferè antiquitatis hæc, *Confirmo, & conſigno te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Pax tecum*. In libro ſacramentario Eccleſiæ Senonenſis ante annos 800. ſcripto hęc, *Confirmo, & conſigno te ſigno ſanctæ Crucis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum*. Multæ ſunt aliæ hujuſmodi formæ diverſæ, quas recenſere nimis longum eſſet.

20 Tam diverſæ non ſunt formæ quibus Sacramentum extremæ Unctionis fuit olim adminiſtratum. Reliqui tamen ritus, uſuſque valde diverſi fuere. Ut nihil dicam de iis Eccleſiis, in quibus ſani, ſed brevi morituri uncti fuere, in pleriſque fuit hoc Sacramentum ante viaticum adminiſtratum, ut conſtat ex Theodori pœnitentiali, ubi ſic, *Ab infirmis in periculo mortis poſitis pura eſt inquirenda peccatorum confeſſio; ſacra Unctione olei inuncti ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum communione Viatici reficiantur*. Eadem Sacramenta Confeſſionis, Unctionis & Viatici eodem ordine infirmis miniſtrari jubent Concilium Aquiſgranenſe anni 836. cap. 5. Moguntinum anni 847. cap. 26. Conſtitutiones Riculphi Sueſſionenſis Epiſc. cap. 10. Et hoc ordine ſuſcepta hęc ſa-

cramenra fuiſſe à multis ſanctis viris produnt hiſtoriæ. In aliquibus tamen Eccleſiis poſt Viaticum inungebatur æger, ut conſtat ex S. Cæſario in ſerm. 265. S. Eligio in tract. de rectitudine Catholicæ Converſationis num. 5. ex Herardo Turonenſi Archiep. in Capitulari n. 21. aliiſque aliarum Eccleſiarum Epiſcopis. Similiter in pleriſque Eccleſiis fuerunt Unctiones per ſeptem dies continuos repetitæ. Hunc enim ritum pręſcribunt multi antiqui Rituales pręſertim Eccleſiæ Turonenſis, Remenſis, Salisburgenſis, item Codex Victorinus aliique. Contra in aliis Eccleſiis habitum pro lege fuit, nec in diverſa ægritudine poſſe hanc unctionem iterari, ut nunquam poteſt iterari Baptiſmus & Confirmatio. Sic cenſuit Gaufridus Vindocienſis lib. 2. epiſt. 19. Ivo Carnotenſis apud eundem epiſtola ſequenti, aliique. In aliquibus Eccleſiis uncta non ſolum organa ſenſuum fuere, ſed *omnes illæ partes, in quibus morbus potiſſimum graſſabatur*, ut dicit Matthæus Galenus in Promptuario Theologico Catecheſi 180. ſecùs in aliis. In aliquibus aut pleriſque Eccleſiis domi ſuæ ungebatur infirmus, ut colligitur ex epiſt. Innocentii primi ad Decentium, & ex Actis multorum Sanctorum. In aliquibus tamen locis ægri deferebantur ad Eccleſiam, ut ibi ungerentur, ut patet ex ſerm. 279.

S. Cæ-

S. Cæſarii in Appendice novæ editionis S. Auguſtini.

21 Miniſter hujus unctionis in aliquibus Eccleſiis plures fuere Sacerdotes, ut conſtat ex Actis ſanctarum Chrotildis, Hunegundis, Hildegundis, & aliorum. Ex his autem aliquando unus applicabat oleum, altero verba formæ pronunciante, aliquando ſinguli omnes corporis partes ungebant, & ungendo formam proferebant. In aliis autem Eccleſiis unus erat Sacerdos, & fortè etiam ſolus Epiſcopus, quem ſolum aliqui crediderunt eſſe legitimum hujus ſacramenti Miniſtrum, vel ſaltem dubitarunt, ne ipſe ſolus eſſet, ut conſtat ex prędicta epiſt. Innocentii qui hanc dubitationem ſuſtulit. Nunquam deficiam, ſi velim ea percenſere omnia, in quibus veteres Eccleſiæ diſcrepabant, nos verò ſanctiſſimè convenimus.

Hoc autem conſenſu in ritibus & cęremoniis Eccleſiam commendari, ejuſque diſciplinam fieri meliorem, certum eſt: omnis enim Reſpublica ex ſuarum partium conſenſu melior, & firmior habetur. Hinc Romanum Imperium, quod firmitati maximè ſtuduit, Romanas ubique leges, Romanos mores, Romanum ipſum ſermonem recipi curavit, ipſique Romani Pontifices in id incubuere ſemper, ut ſicut unus Deus eſt, unus Chriſtus unius Ec-

cleſiæ fundator, una fides, unum Baptiſma, una hoſtia, unus Chriſti Vicarius, unus Fidelium finis, ſic una eſſet in tota Eccleſia, quantum fieri poteſt, legum, rituumque ſacrorum diſciplina. Hanc autem, ut curarint ſemper, nunquam tamen magis, quàm his ultimis ſæculis obtinuere, quibus eodem penitùs ritu luſtratur, confirmatur, paſcitur, abſolvitur, ungitur, initiatur, cum ſponsâ jungitur Romanus, Gallus, Hiſpanus, Germanus, Polonus, Scytha, Sinenſis, Indus, Afer, & quotquot ex Orbe recèns invento Chriſto dant nomen, ejuſque ſacra inſtituta ſuſcipiunt.

Cler. At quorſum hęc pręſentis Eccleſiæ laus ex legibus legumque conſenſu? Quid hoc ad antiquæ Pœnitentiæ diſciplinam, quam mihi his diſſertationibus explicare conſtituiſti?

Auct. Quorſum hęc? Ad probandum falſum eſſe, quod ipſe antea dicebas in argumentum antiqui rigoris, nimirum meliorem, majoremque fuiſſe veterum Eccleſiarum diſciplinam.

Cler. De diſciplina morum factorumque loquebar ego, non de diſciplina legum, rituumque.

Auct. De hac agam modò, ſed agendum de illa priùs fuit, quia illa eſt prima diſciplinæ pars, utque fateri inciperes, decipi eos, qui putant,

tant, in omnibus veterem Eccleſiam recenti præſtitiſſe. Vidiſti, præſentem præſtare legibus, & legum conſenſu, mox intelliges, an præſtet quoque legum obſervantia. Ego quidem in hac parte diſciplinæ judicem agere nolo, nec definire quæ præſtet, quo tempore mores Fidelium fuerint meliores, quo minus corrupti, ſed referre tantùm, qui fuerint olim, nempe à ſæculo tertio (hinc enim, aut ex quarto rigorem pœnitentiæ incępiſſe, & uſque ad octavum, nonum, aut etiam duodecimum utcunque ſuſtentatum dicunt) ut cùm non ignores qui modò ſint, ipſe judices, an fuerint meliores, an tantus fuerit antiqui rigoris fructus, an ullus verè fuerit rigor cenſuræ, cùm in tam multis nullus fuit timor cenſuræ.

CAPUT XIX.

Quæ fuerit olim diſciplina morum præſertim iu tribus Eccleſiis, quarum duæ hìc deſcribuntur.

TAm ampla terrarum, ac temporum ſpatia complectitur Eccleſia vetus, ut hìc à me tota deſcribi non poſſit. Nec verè opus eſt: ſatis enim erit afferre, aut innuere quæ referunt Scriptorer probatiſſimi de tribus præcipuis

Eccleſiis quæ ex rigida diſciplina celebrantur; ut inde ſtatuas apud te, an is fuerit qui fuiſſe dicitur rigor antiquus.

Dixi *afferre*, *aut innuere*: non enim afferam omnia, quæ prædicti Scriptores literis tradiderunt, ſed aliqua afferam, aliqua indicabo tantùm: ſic veritati conſulam, meoque propoſito ſerviam, & conſulam honori prædictarum Eccleſiarum, ac utilitati tuæ, qui loca ipſa quæ innuo, conſulere per te poteris, & fructuoſiùs legere diviſim, quæ ſi eſſent hìc oculis ſimul oblata, majora vero viderentur, tuumque animum perturbarent.

Tres illæ, quas dicebam, rigidiores Eccleſiæ fuere Africana, Græca, & Gallicana: omnes enim quotquot celebrantur rigidioris pœnitentiæ Canones vel manarunt à Patribus Africanis, quorum ſeveritas tranſiit inde ad aliquas Hiſpanas Eccleſias, vel à Patribus Græcis, vel à Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ. Nunc de duabus prioribus agendum.

1 Africana nunquam floruit magis, quàm tempore Cypriani, & Auguſtini. Audi nunc ab ipſo Cypriano, qualis fuerit ſuo tempore, antequam eam Decianæ perſecutionis turbo concuteret; eam quippe deſcribit in commentario de lapſis in hunc modum. *Dominus probari familiam ſuam voluit, & quia traditam nobis divi-*

divinitùs diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & penè dixerim dormientem cenſura Cœleſtis erexit. Cumque nos peccatis noſtris amplius pati mereremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, ut hoc omne quod geſtum eſt, exploratio potiùs, quàm perſecutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti quid credentes aut ſub Apoſtolis ante feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Compta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus ſubdolæ voluntates: Jungere cum Infidelibus vinculum matrimonii, proſtituere Gentilibus membra Chriſti, non jurare tantum temere, ſed adhuc etiam pejerare: Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere; odiis pertinaciter invicem diſſidere: Epiſcopi plurimi (quos & hortamento eſſe oportet cæteris, & exemplo) Divina procuratione contempta, procuratores rerum ſæcularium fieri derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæſtuoſæ nun-

nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi mereremur? Eſt autem in promptu conjicere, quæ ſub his Epiſcopis Plebes fuerint, quam oblitæ bonorum æternorum, quam rerum fluxarum, ſuæque vitæ mortalis amantes; idque ſtatim declaravit eventus, nempè ingens numerus eorum qui in quæſtione Fidei ſtatim, & cum ruina aliorum lapſi ſunt, ut ex eodem Cypriano notat Card. Baronius ad an. 253. his verbis.

2 „Cum perſecutio graſſaretur, primo „ipſo ſui furoris impetu, complures ubique „proſtravit, ipſos nimirum, quos antea deliciæ, & concupiſcentia ſubjugaſſent, & cujus „magis mala acta vita eſſet, & inquinata, ejus „turpior erat lapſus, atque negatio. Hos „enim in primis S. Cyprianus deplorat in li„bro de lapſis ſic dicens: „ *Non expectaverunt ſaltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehenſi. Ante aciem multi victi, ſine congreſſione proſtrati, nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificari idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem ſpontè properare, quaſi hoc olim cuperent* &c. & paulò poſt: *Ac multis proprius interitus ſatis non*

fuit:

fuit: hortamentis mutuis, in exitium ſuum populus impulſus eſt, mors invicem lethali proculo propinata eſt. Ac ne quid deeſſet ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impoſiti, vel attracti.

3 Omitto eorum ſacrilegam impudentiam, qui poſt fidem turpiſſimè abnegatam, vel ſtatim reconciliari poſtulabant, rejectique adhuc ad Altare accedebant, communicabantque, vel à lapſu recentiſſimi incedebant per Urbem *hilares, pretioſis veſtibus induti monilibus* aliiſque vanitatis inſignibus ornati, *lavacra cum fœminis quotidiè celebrabant, & epulis affluentibus paſti, & ſagina largiore diſtenti cupiditates ſuas poſtridiè eructabant* &c. ut dicit idem Cypr. ſerm.5. de lapſis.

4 Quæ fuerit tempore Divi Auguſtini Eccleſia Africana colliges ex iis quæ idem S. Doctor habet homilia ultima ex 50. ſerm. 215. de Temp. & 15. de Sanctis epiſt. 49. & in aliis locis, ex quibus aliqua allegavi in meo Cler.Rom. lib.2. diſp. 11. n.11. quem locum velim adeas, ut tecum ſtatuas, an poſſimus in ullâ noſtrarum regionum Eccleſia id mali deflere, quod in ſua deflet Auguſtinus.

5 An Eccleſiæ Hiſpaniarum fuerint circa eadem tempora, aut paulò ante meliores diſces ex Siricio Papa, qui epiſt. 1. ita reſpondet

Hi-

Himerio Tarraconenſi. *Veniamus nunc ad ſacratiſſimos Ordines Clericorum, quos in venerandæ religionis injuriam ita per veſtras provincias calcatos, atque confuſos, charitate tua inſinuante comperimus, ut Hieremiæ nobis dicendum ſit voce, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum &c. Si ergo Beatus Propheta ad lugenda populi peccata non ſibi ait lacrymas poſſe ſufficere, quanto nos poſſumus dolore percelli, cùm eorum, qui in noſtro ſunt corpore compellimur facinora deplorare, præcipuè quibus ſecundum Beatum Paulum inſtantia quotidiana, & ſolicitudo omnium Eccleſiarum indeſinenter incumbit &c.* Quibus clarè ſignificat Epiſcopos fuiſſe eos, quorum facinora deplorabat. Quæ verò eſſent hæc, in eadem epiſtola melius leges, quam ex me audies. Ex factis autem Sacerdotum, & Epiſcoporum conjicies facta Laicorum.

Græca, ſi prima Apoſtolorum tempora demas, nunquam floruit magis, quàm ſęculo quarto, cùm magni illi ejus Eecleſiæ Doctores aut viverent, aut paulò ante mortui eſſent, necdum ſchiſma eſſet exortum, quod eam poſtea concuſſit, evertitque. Quæ autem eo tempore fuerit, ex Chryſoſtomo teſte oculato, & omnium probatiſſimo diſces.

6 Is pluribus in locis populum redarguit

ex

ex contemptu rerum omnium ſacrarum. To. 3. hom. 24. in Act. Apoſt. *Alios video*, inquit, *ſtare, & nugari dum preces ſiunt, & quidem ex illis, adhuc meliores ſcilicet* (nempè Altaris miniſtri) *idem facientes non ſolum dum ſiunt preces, ſed etiam dum Sacerdos benedicit* (ideſt dum verba conſecrationis profert) *O audaciam. Quando erit ſalus, quando poterimus Deum placare?* In orat. de B. Philigonio, *Nunc autem multi Chriſtianorum in tantam vecordiam, tantumque venere contemptum, ut cum innumeris ſcateant malis, nullam tamen vitæ ſuæ curam habeant, ſed in diebus feſtis negligenter, ac temere ad menſam hanc accedant*. Loquitur de illis, qui quamvis haberent culpas graviſſimas, quas S. Antiſtes non ignorabant, audebant tamen in feſtis ſolemnioribus cum aliis accedere ad Altare, & communicare To. 4. hom. 2. in epiſt. 2. ad Timoth. *Hoc eſt malorum omuium cauſa, quod Rectorum authoritas periit, nulla illis reverentia habetur, nullus honor, nullus metus. Obedite, inquit, Præpoſitis veſtris, & ſubditi eſtore illis. At nunc perverſa, & confuſa ſunt omnia*.

7 Hujus autem contemptus ſacrorum Miniſtrorum, Sacramentorumque ea præcipua cauſa erat quod qui puriorem vitam inſtituere volebant, in eremum, aut in remota ab Urbibus

bus monaſteria ſe conferebant, reliqui verò minùs idonei ſacrorum curam ſuſcipiebant, ut idem Chryſoſtomus teſtatur to.4. hom.6. in ep. ad Epheſ. cap. 3. *Vide quanta ſit rerum turbatio. Qui rectè vivendo rectamque aliquo modo fiduciam obtinendo montium cacumina occuparunt, è medio ſublati, & velut ab hoſtili, alienoque, & minimè domeſtico corpore avulſi ſunt. Corrupti verò, quique innumeris malis ſcatent, in Eccleſias irruperunt. Venales factæ ſunt dignitates. Mille hinc mala naſcuntur, & tamen nemo eſt qui corrigat, nemo qui reprehendat.* An putas, Epiſcopos hìc deſcriptos, totque malis ſcatentes compuliſſe eos, qui peccabant, ad canonicas pœnitentias, ad eas lacrymas, eumque tot annorum, ac ferè totius vitæ ſquallorem?

8 Ne verò oratoriè, & cum exaggeratione hìc loqui Chryſoſtomum credas, ejuſdem perniciofiſſimæ conſuetudinis, quæ hoc tempore Orientalem Eccleſiam perturbabat, eligendi in Eccleſiæ miniſtros etiam ſupremos, qui id honoris minimè merebantur, quique eligi per leges Apoſtolicas non poterant, laicos videlicet, aut etiam neophytos, meminit S. Gregorius Nazianzenus in oratione habita in laudem Magni Baſilii, quem non ita electum fuiſſe, ſed ordinatum per ſuos gradus Presbyterum ab Hermoge-

mogene Epiſcopo Cęſarienſi, refert, *in quo* (inquit) *hanc rationem tenuit* Hermogenes, *ut minimè repente eum ad hujuſmodi gradum ſubveheret, nec eodem temporis momento ſalutaris aqua tingeret, ac ſapientia inſirueret, quemadmodum PLERISQUE eorum accidit, qui nunc ad prefecturas inflammati cupiditate rapiuntur*. Et inferius. *Nunc autem non virtute magis, quam malitia, & fraude ſacerdotii dignitas paratur, nec meliores, ac digniores, ſed potentiores thronis inſident*. Et paulò poſt. *Cumque nec medici, nec pictoris nomen quiſquam obtineat, niſi priùs morborum naturas expenderit, aut multos colores miſcuerit, variaſque formas pennicillo expreſſerit; Antiſtes contra facilè invenitur non elaboratus, ſed recens quantum ad dignitatem, ſimul ſatus, ac provectus, quemadmodum Gigantes Poetæ finxerunt. Uno die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes, & eruditos eſſe jubemus qui nihil didicerunt, nec ad ſacerdotium quidquam antea contulerant, præterquam velle, ac is quidem inferiori ſede quieſcit, humiliſque ſtat qui ſublimem promeretur &c.*

9 Illa autem erat peior in Ordinationibus eorum temporum calamitas, quod ſępiſſimè Eccleſiis præficiebantur homines hæretici, nec rarò hæreſum ſatores. Primum conſtat ex hu-

jus

jus quarti ſæculi conventibus, in quibus tot numerantur Epiſcopi Hæretici, ut ipſi ſoli nec rarò confecerint integra, eaque valdè numeroſa conciliabula. Alterum norunt omnes quicumque hæreſum auctores norunt. Hinc facilè quiſpiam colliget, qui fuerint Fidelium mores ſub Epiſcopis aut paulò ante laicis, & rerum Eccleſiaſticarum ignaris, aut neophytis, aut cupidis, ambitioſiſque, aut hæreticorum fautoribus, aut hæreticis, aut novarum hæreſum authoribus, aut Catholicis quidem, ſed vi & fraude hominum ſeditioſorum coactis cedere Epiſcopatu, ut coactus fuit Gregorius Nazianzenus, aut expulſis, ut Chryſoſtomus, aut, ut plerique, aliò vocatis ut ſe apud Imperatores purgarent, vel eorum auxilium implorarent, vel ut celebrarent concilia, ac proinde impeditis reſidere, luſtrare Diœceſes ſuas, revocare oves abductas, & morboſas curare.

10 Hinc certè, accedente iniquitate, aut ſocordia Principum Præfectorumque aut hæreticorum, aut hæreticis faventium, aut ſibi nimis timentium à ſubditis paulò ante converſis, nec adhuc longo Religionis uſu ſubactis, ea mala fluxerunt, quæ ſupra recenſui ex Chryſoſtomo, aliaque multa ab eodem alibi recenſita, nempè publicæ, & communes injuſtitiæ, perjuria, fœdiſſima nuptiarum pompa, ſuperſtitiones,

ſpe-

ſpectacula, ludique, quibus animus aut efferabatur, aut frangebatur.

11 Primum ex his malis deflet tom. 5. homilia 9. *Quod nemo læditur &c.* ubi ſic *Quotidiè videmus lædi quam plurimos, & affligi, & opprimi cum omni injuria humiles, & infirmos à potentibus, & fortibus, & pauperiores à ditioribus invadi; & ſicut non eſt poſſibile numerare fluctus maris, ita nec hi qui affliguntur, & injuriam patiuntur poſſunt numero comprehendi; quibus neque leges ullæ ſubveniunt, neque judicum metus, neque ulla vis alia morbum hunc, ac perniciem poteſt cohibere: quin imò & augetur per dies ſingulos, fletuſque & gemitus malorum ſemper increſcit. Ipſi enim judices, qui ad hæc reprimenda conſtituti ſunt, graviores tempeſtates, & pernicioſiores ſuſcitant morbos &c.*

12 Alterum ex enumeratis delictis, nempè perjurium, ſatis commune fuiſſe innuit pluribus in locis, in quibus excindere conatur communem conſuetudinem temere frequenterque jurandi per Deum, unde facilis erat lapſus in perjuria, ut docet tom. 2. hom. 12. in Matth. *Ex juramento perjurium generatur. Nemo eſt enim, qui frequenter jurat, & non aliquando perjuret.* Conſueviſſe autem omnes jurare frequentiſſimè, ſæpè teſtatur, ac dolet, & præ-

ſertim tom. 5. de Militia ſpirituali hom. 4.

13 Sæpiſſimè quoque invehitur in tertium delicti genus, videlicet in eam communiſſimam conſuetudinem ducendi nocturno tempore ſponſam in domum ſponſi, prælucentibus ubique facibus, & circum obſcœnè clamantibus, & ſaltantibus ſcortis, & ſcortatoribus. Fędam hanc libidinis pompam, qualem noſtra etas, in Chriſtianis ſaltem regionibus, non videt, ſpectare cum lacrymis cogebatur Chryſoſtomus, qui tom. 4. hom. 12. in ępiſt. 1. ad Cor. eam deſcribit enumeratis antea malis, quæ ab hac conſuetudine oriebantur. *Vide quæ hinc jam oriantur. Non diù tantùm, ſed nocte ebrii, & ebrietate attoniti, & deliciis fracti in virginei aſpectus pulchritudinem oculos dirigere feſtinant, & neque in domo dumtaxat, ſed per forum publicè eam oſtendunt, & in obſcura nocte cum funalibus ipſam ducunt, ut omnibus oſtendatur. Quibus rebus nihil aliud faciunt, quam quod admonent, omnem jam pudorem exuendum. Neque hactenus contenti turpiſſimis ſermonibus ipſam ducunt. Et hæc multitudini lex eſt, fugitivi, verberones, perditi homines innumeri licenter jam omnia quæcunque volunt & in illum, & in ejus conjugem loquuntur. Nihil ſanè honeſti, omnia turpia, omnia ignominiæ plena. Certamen quoddam illic diabolicum eſt eorum,*

qui

qui hæc loquuntur, ut obſcœnorum, & turpium verborum contentione excellant. Et illi ſuperiores habentur, qui plura opprobria, & turpia verba effundunt &c. Et quæ nam hæc inſania? Sed conſuetudo rem facit, inquis. Propter hoc maximè deflendum eſt, quod in conſuetudinem id traxit Diabolus .... Quid nam enarrare poſſet quiſpiam ipſas cantilenas, quæ omnis incontinentiæ plenæ ſunt, quæ protervos amatores, concubitus illegitimos, domorum everſiones, & innumeras inducunt miſerias ... Et quod gravius eſt, virgines his adſunt, omnem exuentes pudorem in nuptæ honorem, vel potius contumeliam, quæ ſuam projicientes ſalutem cum impudicis adoleſcentibus, impudicis cantilenis, turpibus verbis, ſatanæ concordia, ignominia afficiuntur?

14 Inde proſequitur narrare nuptarum circa filios ridiculas ſuperſtitiones. *Poſt nuptias prœterea ſi quando naſcatur filius, hoc item in loco eandem videbimus amentiam, & multa ridicula. Siquidem cum filio nomen imponendum ſit, omiſſa ſanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant, accenſis lucernis, & his nominibus impoſitis, quæ plurimùm duraverint, ejus nomine filium appellant, hinc eum diuturniùs victurum conjectati. Deinde, cùm nonnunquam accidat, ut immatura morte moriantur:*

accidit enim ſæpè, multum ridet Diabolus, quod tanquam inſipientes pueros eos deluſit. Quid dicam ornamenta quæ circumponuntur, & bracteа manibus pendentia, & coccineum ſtamen & alia omnis ſtultitiæ plena? Verum nihil aliud afferre puero oporteret, quàm crucis cuſtodiam, quæ in præſentia contemnitur, cum univerſum orbem converterit, & graviſſimam Diabolo plagam dederit, & omnem ejus everterit potentiam. Subtegmen autem, & ſtamen, & alia hujuſmodi, quæ puero alligantur puerum incolumem ſervare creduntur.

Dicam & aliud magis ridiculum quod quidem multis nihil mali videtur, verùm eſt infidelitatis principium, & maximæ dementię. Luto mulieres in balneis accepto, & nutrices item, & ancillę digito pueri frontem ungentes ſignant. Quod ſi quis eas iuterrogaret, quid ſibi lutum illud velit, quid cœnum? malum occultum avertit, inquiunt, & faſcinum, & invidiam. Papè! quantum lutum poteſt! univerſam Diaboli aciem evertit. Quod ſi lutum hoc facit, quamobrem ta quoque uon idem in fronte tua facis, cum vir ſis, & in ętate perfecta, magis quàm puer invidos habeas?.... Quod apud Gentiles hęc fiant, nihil mirum. Verùm quod apud eos, qui crucem adorant, & arcana myſteria communicant, & hoc modo philoſo-

phan-

phantur, hęc ignominia pręvalet, hoc ſanè maximè eſt deplorandum &c.

Quid ſi quis cęteras Satanę obſervationes memoraret, in doloribus & parturbus, quas obſtetrices in capitis ſui damnum moliuntur? Quid in morte, & ſingulorum funeribus ululatus, & ſtultos gemitus dicam? Quid in ſepulturis dementiam? Quid circa monumenta ſtudium intempeſtivum, & ridiculum? Quid plorantium mulierum examen, & dierum ingreſſus, & exitus obſervantiam? &c. His profectò, ſeu natalitiis, ſeu mortualibus ſuperſtitionibus non decipiuntur modo Fideles, ut nec is modo eſt, qui tunc erat, exhibendorum ſpectaculorum uſus.

15 Quam impudica illa eſſent intelliges ex S. Doctoris hom.7.in Matth. tom.2.& hom.12. in epiſt. 1. ad Cor. tom. 4. Quam noxia eſſent ex iiſdem homiliis colliges, & ex hom. 32. in Jo: to.3. & hom.62. ad populum Antioch.to.5. Quam frequentata à Fidelibus omnis ætatis à ſenibus ipſis decrepitis, qui eò ducebant filios, nepotes, totamque familiam, ipſis diebus ſacris,poſt ipſam ſacrorum myſteriorum participationem, refert hom.1. de verbis Eſaiæ to.1. & hom. contra concurrentes ad theatra tom.5. & ſer.9. in illud, *intrare per anguſtam portam* to.4. Quare mirum non ſit, quod eo triſtiſſimo

præſagio terruerit S. Antiſtes hom. 40. populorum Antiochenum, & alibi etiam populum Conſtantinopolitanum.

Quot eſſe putatis in Civitate noſtra, qui ſalvi fiant? infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen, non poſſunt in tot millibus centum inveniri, qui ſalventur, quin & de his dubito. Corrupti eorum temporum mores hęc præſagire cogebant Sanctum Antiſtitem, ſic enim ſubdit. *Quanta enim in juvenibus quæſo malitia, quantus in ſenibus torpor? Filii curam gerit nemo, nemo zelum habet, ut ſenem reſpiciens imitetur: examplaria deleta ſunt &c.* Quæ profectò his temporibus minimè congruunt, cùm tanta educandæ informandæque ad omnem virtutem juventutis cura, cum tot ad hunc finem fundata Seminaria, Collegia, Academiæ, tot inſtituta pia ſodalitia: cùm quamvis multa occurrant exempla vitiorum, multa quoque præſertim à ſenibus ſuppetunt exempla virtutum, cùm nec ambire quidem poſſunt homines laici, aut neophiti, aut perditi, aut ſuſpecti, nedum aſſequi, Eccleſiaſticas præfecturas.

CA-

CAPUT XX.

Quæ fuerit Eccleſia Gallicana?

JAM verò ad Eccleſiam Gallicanam convertere ſermonem debeo. Quo maximè tempore ea floruerit, definire non auſim; cùm illuſtria omnïum temporum monumenta extent, epiſtolæ videlicet eorum Epiſcoporum ad Pontifices, plenæ zelo Religionis, Concilia innumera ad diſciplinam reſtituendam congregata, canones ſeveri, legeſque optimæ eorum Principium, & Imperatorum, quas capitulares dixerunt, moribus populorum corrigendis ſtatutæ: adhuc tamen ei nihil fortaſsè invideat præſens Eccleſia.

1 Statum Eccleſiæ Gallicanæ ſub finem ſæculi quarti & initium quinti deſcribit ex Salviano Card. Baronius anno 406. ubi hæc habet. „ Quam verò ſoluta eſſet in Galliis magna ex „ parte Eccleſiaſtica diſciplina, corruptiſque „ moribus, exundantibus ubique vitiis eędem „ provinciæ meruerint tradi Barbaris devaſtandæ Salvianus pluribus docet. Vivebat ipſe „ tempòribus his ob oculos habens, quæ ab „ oculis excuterent jugiter lachrymas. Nam

 „ hæc

„ hæc de ſuis Aquitanis in primis, „ *In omnibus quippe Galliis*, inquit, *ſicut divitiis Aquitani primi fuere, ſic vitiis: nuſquam enim improbior voluptas; nuſquam inquinatior vita, nuſquam corruptior diſciplina . . . Exceptis tamen perpaucis valde Sanctis, & inſignibus viris . . . Apud Aquitanos verò quæ Civitas in lacupletiſſima, ac nobiliſſima ſui parte non quaſi lupânar fuit? Quis potentum ac divitum non in luto libidinis vixit? Quis non ſe barathro ſordidiſſimæ colluvionis immerſit?* Hæc aliaque multa Salvianus, quæ in infamiam gentis ſuæ à graviſſimo viro confićta, aut exaggetata fuiſſe nemo ſapiens dicet, ut nemo ſapiens credet, hoc eodem tempore, quo jura divina conculcabantur, fuiſſe Canones pœnitentiales obſervatos, ſimplicem fornicationem plurium annorum ſquallore curatam, & ſimul Urbes totas ad pœnitentiam compulſas.

2 Circa idem tempus Exuperius Epiſcopus Toloſanus ſcribens ad Innocentium Papam ſciſcitatur ab eo quomodo ſe gerere debeat. 1. *Cum incontinentibus Sacerdotibus, & Levites*. 2. *Cum iis qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcerent*. 3. *Cum adulteris*.

ris. 4. *Cum iis qui divortio intercedente aliud inibant conjugium*, quod modò nec tentare quis audet.

Paulò poſt Hilarius Epiſcopus, & Elpidius Presbyter ex Toloſana provincia ad eundem Innocentium ſe contulere, & ut conſtat ex ipſius Innocentii epiſtola ad Epiſcopos Synodi Toloſanæ, cum gemitu expoſuerunt, *violatam in ea provincia pacem, diſciplinæ rationem eſſe confuſam, & multa contra Canones Patrum contempto ordine, & regulis in uſurpatione Eccleſiarum fuiſſe commiſſa*.

Zoſimus quoque, ſucceſſor Innocentii epiſt. 3. & ſeqq. queritur de turbis per eas Eccleſias excitatis ex malis Ordinationibus. Similes ex ſimili cauſa querelas habent epiſtolæ Bonifacii qui Zoſimo ſucceſſit, ſcriptæ ad Gallicanos Epiſcopos, inter quos Maximus Valentinæ Eccleſiæ Antiſtes, criminum, *teſte tota provincia*, commiſſorum accuſabatur.

3 Creverunt in immenſum turbæ tempore Leonis magni, Epiſcopis ſe mutuò accuſantibus, expellentibus, & alienas provincias armata manu invadentibus, ut conſtat ex epiſtola ejuſdem Leonis ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis, & epiſtola Valentiniani ſcripta ad Aetium militum magiſtrum in Galliis, ut eos Epiſcopos, & præſertim Hilarium Arelaten-

ſem

ſem turbarum cauſam, ad obedientiam Romani Pontificis decretis præſtandam compelleret. Sic autem habet Leo in prædicta epiſtola num. 3. *Militaris manus, ut didicimus, per provincias ſequitur Sacerdotem, & armati præſidii præſumptione ſuffulto ad invadendas per tumultum famulatur Eccleſias, quæ proprios amiſerint Sacerdotes. Trahuntur ordinandi ante hoc officium his, quibus præficiendi ſunt civitatibus ignorati. Ut enim notus qui fuerit, & probatus per pacem petitur, ita per vim neceſſe eſt, qui ignotus adducitur, imponatur &c.*

4 De Hilario autem Epiſcopo Arelatenſi turbatum cauſa, & armatorum duce ſic Imperator in prædicta epiſtola ad Aetium. *Romanæ Urbis inconſulto Pontifice, indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate uſurpans invaſit* (Hilarius) *nam alios incompetenter removit, indecenter alios, invitis, & repugnantibus civibus, ordinavit. Qui quidem, quoniam non facile ab his qui non elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat. His talibus & contra Imperii majeſtatem, & contra reverentiam Apoſtolicæ Sedis admiſſis, per ordinem religioſi viri Urbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum, ex his, quæ malè ordinaverat,*

lata

lata ſententia eſt. Et erat quidem ipſa ſententia, per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obviare. Prædictum Hilarium excuſat Severinus Binius in notis epiſtolæ 4. Hilari Papæ, putatque, eum fuiſſe per calumniam accuſatum apud Leonem Pontificem, ſed meliùs Card. Baronius fatetur, eum nimio ardore, ſedis ſuæ jura aut vera, aut quæ putabat vera propugnaſſe, poſtea vero magno moderationis exemplo ab inceptis deſtitiſſe.

5. Brevi tamen aliæ emerſerunt inter Gallicanos Epiſcopos diſcordiæ, quæ eas Eccleſias iterum perturbarunt cum magno Eccleſiaſticæ diſciplinæ damno, ut patet ex multis qui in eas inepſerunt, aut qui permanſerunt, abuſibus, & morum corruptelis, quas ſecuta Concilia, & Pontifices emendare curaverunt, ſed emendare nunquam potuerunt; hinc eadem ſemper mala deflent Patres. Quàm verò gravia illa eſſent, & quam multa, diſces ex Synodo Andegavenſi ſub eodem Leone celebrata, ex Concilio Turoni-

ronico, quod habuere Patres ann. 461. & ex Venetico anni 465. in quo profitentur Patres, ea ſe velle ſancire, quæ *procedente tempore per licentiam ex nimia prolabentis ſæculi libertate præſumptam fuerant omiſſa*, eoſque verè Canones ſtatuunt qui remedia ſunt ingentium delictorum, cujuſmodi ſunt Sacerdotum à relictis uxoribus non abſtinentium, Sanctimonialium, & Monachorum è ſuo propoſito reſilientium ſacrilegia, inita cum alienis uxoribus conjugia, cultus ſuperſtitioſi ad captandam notitiam futurorum &c. Nec diffitetur Seveinus Binius in notis horum Conciliorum, fuiſſe hoc tempore in Galliis diſciplinam Eccleſiaſticam hominum ſocordia, & Barbarorum incurſione laxatam, imò corruptam.

6 Quantam autem non laxitatem dumtaxat, ut dicit Binius, ſed vaſtitatem Gallicanis Eccleſiis attulerint per hęc tempora Barbari, docet Sidonius Epiſcopus ſcribens ad Baſilium Epiſc. lib. 7. epiſt. 6. apud Baron. ad ann. 475. *Burdegala, Petrogorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Haluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum (ſummis Sacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur) latum ſpiritualis rui-*

næ

næ limitem traxit . . . ita populos exceſſu Pontificum orbatos triſtis interciſæ Fidei deſperatio premit, nulla in deſolatis cura diœceſibus, parochiiſque. Videas in Eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valuarum cardinibus avulſis, baſilicarum aditus hiſpidorum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa (proh dolor!) videas armenta non modò ſemipatentibus jacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci. Sed jam non per ruſticas ſolùm ſolitudo parochias, ipſa inſuper urbanarum Eccleſiarum conventicula rareſcunt. Quid enim Fidelibus ſolatii ſupereſt, quando Clericalis non modò diſciplina, verum etiam memoria perit?

An optabilis adeo ſit is veteris Eccleſiæ ſtatus, in quo, ſi primam hujus quinti ſæculi partem ſpectes, fuit, teſte Salviano, ex pace, & affluentia bonorum, morum diſciplina fœdiſſimè corrupta; ſi partem mediam conſideres, fuit eadem diſciplina ex turbis, & diſcordiis Epiſcoporum (ut ex epiſtolis Pontificum, & Actis Conciliorum conſtat) nimium laxata; ſi demum ultimam ſæculi partem ſpectes, fuit ex Barbarorum invaſionibus non diſciplina tantùm, ſed ejus memoria ſublata?

7 Nec feliciùs Eccleſiis Gallicanis fluxit ſæculum ſextum, ut diſces ex homiliis S. Cęſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui initio hujus ſæculi

culi floruit, & prçſertim ex 4. ex vulgatis à Baluzio, & ex duodecima in qua enumeratis omnibus ferè peccatis gravioribus, nempe adulteriis, homicidiis, rapinis, perjuriis, variis incantationibus, ſubdit. *PAUCI inveniri poſſunt qui ſe ex his omnibus liberos eſſe congaudeant*. Homilia 16. ex editis in Bibliotheca Patrum loquens de peccatis fornicationis, & adulterii, ſed præſertim fornicationis, ſic habet, *Ita peccata iſta in conſuetudinem miſſa ſunt, & tanti ſunt qui illa faciunt, ut jam quaſi ex licito fieri credantur*. Et paulò poſt loquens de concubinatu, *Sed, ſicut jam dixi, mala, & peſſima iſta conſuetudo ita à pluribus ſine aliquo Dei timore committitur, ut hoc non peccatum eſſe credatur*. Et quia paulò antè agens de iis qui eam caſtitatem exigunt in ſponſis, ſeu uxoribus quam ipſi non habent, dixerat, *Qua fronte uxorem integram vult invenire, cùm ſit ipſe corruptus?* ſubdit: *Sed forſitan aliquis putat licere hoc viris, & fœminis non licere; ut enim viris liceat, ſicut jam dixi, peccantium obtinuit multitudo*. Putas-ne fuiſſe hoc tempore fornicariis, adulteris, homicidis, furibus, perjuris impoſitam canonicam pœnitentiam, nempe ferè omnibus, quondoquidem *pauci inveniebantur, qui ſe ex his omnibus liberos eſſe congauderent?* Putas-ne iſthæc fuiſſe

com-

commiſſa, & ſimul fuiſſe canonicas pœnitentias peractas?

8 Idem Cęſarius ſub initium hujus ſexti ſæculi libellum obtulit Symmacho Papæ, in quo Pontificem rogat 1. ut quandoquidem *in Gallia ab aliquibus perſonis Eccleſiaſtica prędia diverſis titulis alienabantur, id fieri prohiberet Apoſtolicæ Sedis auctoritas*. Rogat. 2. ne *ſit libera facultas rapiendi conjugii cauſa invitas aut etiam volentes viduas, jamdiù religioſo habitu aſſumpto, & ſanctimoniales longo jam tempore in monaſteriis conſiſtentes*. Rogat tertiò, ut *nulli per ambitum ad Epiſcopatum concedatur accedere, nec data pecunia ſibi potentes homines ſuffragatores adhibeant*.

9 Cęſario Symmachus annuit, ut conſtat ex hujus epiſt. 5. quæ habetur tom. 4. Conciliorum Labbęi; adhuc tamen quadriennio poſt in Concilio Agathenſi condendi Canones fuere contra Diaconos, & Presbyteros bigamos, contra Clericos contumaciter renuentes officium ſuum implere, furta de rebus Eccleſiaſticis committentes, ad ſęculares judices confugientes, habentes domi mulieres extraneas, earumque domos frequentantes; ancillis, & libertis utentes in ſecreto miniſterio, contra ſęculares retinentes oblationes parentum aut donatas, aut teſtamentis relictas. Contra Epiſco-

ſcopos alienantes bona Eccleſiæ donata, aut commendata contra Diacones, & Presbyteros conjugatos ad torum ſuarum uxorum redeuntes: contra eos, qui in Quadrageſima, diè Sabbati non jejunabant & illicitis divortiis conjugia maculabant: contra Monachos ſine Abbatis ſui permiſſu aut voluntate, ad alterum monaſterium commigrantes; contra Judæos converſos frequenter ad vomitum redeuntes: contra homicidas & falſos teſtes per pœnitentiæ ſatisfactionem ſua crimina non diluentes; contra Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, qui intereſſent conviviis nuptiarum præſertim Iudæorum, quique inebriati cœtibus hominum obſcœnè ſaltantium ſeſe admiſcerent; contra Clericos, Laicoſque ſtudentes auguriis, & divinationis ſcientiàm profitentes: contra eos qui die Dominico toti Miſſe non interceſſent, ſed auderent exire de Templo ante benedictionem Sacerdotis, ideſt ante conſecrationem, ut multi faciebant, itaut idem S. Cæſarius coactus aliquando fuerit Miſſam interrumpere, & revocare populum abeuntem, ut narrat Card. Baron. ad ann. 506. ubi agens de hujus Sinodi decretis hæc habet, *Leguntur ſanciti Canones, vel reſtituti jam antiquati, numero ſeptuaginta & unus* (irrepſit in numero, nam fuere ſoli 47.) *quibus penè*

COL-

COLLAPSAM ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM in virorem priſtinum reſtituere conati ſunt Patres Agathenſes. *Porrò ex adhibitis remediis quibuſnam morbis illę laborarent Eccleſię, poteſt intelligi &c.*

10 Poſt undecim annos coactum Epaunenſe Concilium fuit in Burgundia ad eundem finem, nempè ut *antiqua diſciplina jam collapſa reſtitueretur*, ut dicit idem Card. Baronius ad ann. 509. quo putat celebratum hoc Concilium fuiſſe. Qui autem fuerit is diſciplinæ lapſus, indicant pariter hujus Concilii Canones contra bigamos, Sacerdotio, aut Diaconatu initiatos, contra Clericos in aliena Eccleſia conſtitutos, vagos, nutrientes canes & accipitres, falſi teſtimonii convictos, hęreticorum convivia adeuntes, Eccleſiaſtica bona alienantes, capitalia crimina committentes, contra laicos inceſta conjugia contrahentes, quorum licentiæ refrænandæ, ut omittam, cæteros Canones, is conditus fuit. *Inceſtis conjunctionibus nihil prorsùs veniæ reſervamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos verò, nec ullo conjugii nomine prævelandos præter illos, quos vel nominare funeſtum eſt* (puta inter fratres, & ſorores,) *hos eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ pene priùs ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit:*

ſi quis frater germanam uxoris ſuæ accipiat: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ, ſobrinæve ſe ſociet: quod ut à præſenti tempore prohibemus ita ea quæ ſunt anterius inſtituta non ſolvimus. Quæ ultima permiſſio, ſatis indicat eorum temporum infelicitatem, quæ eam à Patribus extorſit.

11 Hunc eundem ferè canonem renovat Aurelianenſe III. Aurelianenſia autem Concilia 2. 3. 4. & 5. celebrata fuere circa medium hoc ſextum ſæculum in hunc finem, ut hi potiſſimum abuſus, & vitia excinderentur, nempè cupiditas ſymoniaca in ordinationibus, jurium eccleſiaſticorum, præſertim in ordinando Metropolitano, uſurpatio, impudicitia Sacerdotum volentium Altari adeſſe, nec abeſſe toro, ſacrilegia populorum in Templis cantantium bibentium & laſcivientium, conjugia inita cum Judæis, adulteria, inceſtus, Virginum Deo ſacratarum raptus, ſtupra, Clericorum conſpirationes rebelles, eorundem negotiatio, & uſuræ, injuſta bonorum Eccleſiæ occupatio, vel alienatio, aliaque hujuſmodi delicta, ab aliis antea Synodis caſtigata, & à pleriſque horum temporum aut omnia, aut pleraque iterum pœnis ſubjecta, nec tamen unquam ſublata, partim vitio Principum aut jura Eccleſiaſtica invadentium, aut faventium eis, qui id face-

facerent, aut inceſtas nuptias contrahentium, ut colligitur ex hiſtoria, actiſque Concilii Pariſienſis III. quod circa idem tempus, nempè ann. 557. coactum fuit, & Aurelianenſes Canones renovavit.

12 Primo enim Canone cavetur, ne quis bona Eccleſiæ occupet, aut occupata retineat, *quia* (inquit Severinus Binius, in notis ad hoc Concilium) *occaſione belli civilis inter Childebertum, atque Clotharium Francorum Reges, & fratres germanos exorti ob diviſionem bonorum Theodebaldi Regis defuncti acciderat, ut non ſolùm in adverſantium bona, verùm etiam in res Eccleſiæ manus hoſtiles injicerentur, atque jura, & beneficia Eccleſiæ à Regibus obtinerentur*, non ſine culpa Epiſcoporum, ut innuunt iidem Patres prædicto Can. 1. agentes de invaſoribus bonorum Eccleſiaſticorum, quos competitores vocant. *Competitoribus etiam hujuſmodi frænos diſtrictionis imponimus, qui facultates Eccleſiæ ſub ſpecie largitatis regiæ improba ſubreptione pervaſerint. Sera namque de his rebus pœnitudine commovemur, cùm jam anteactis temporibus contra hujuſmodi perſonas Canonum ſuffulti præſidio ſe Sacerdotes Domini erigere debuiſſent; ne manſuetudo indulgentiæ ad ſimilia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidie provocaret: ſed nunc tarde in-*

V 2 *juria-*

juriarum mole depreſſi damnis quoque Dominicis compellentibus excitamur.

Canoni 4. Qui eſt de illicitis, & inceſtis conjunctionibus occaſionem dedit Clotharius Rex, qui inceſtuoſum conjugium inierat. Agens enim de morte prædicti Theodebaldi Gregorius Turonenſis lib. 4. cap. 9. dicit. *Regnum ejus Clotharius Rex accepit copulans ſtrato ſuo Vuldotradam uxorem ejus*, (nempe ſui nepotis) quam quidem *increpatus à Sacerdotibus reliquit*, ut idem addit, ſed alia inceſtâ conjunctione ſe antea polluerat, quam non diſſolverat vel non increpitus, vel increpantibus ſurdus: eodem enim teſte lib.4. cap.3. duas ſibi in matrimonium conjunxit ſorores, ex quibus ſeptem filias accepit.

Can.5. Statuitur, *ne quis ſacratas Virgines, aut religionem profeſſas rapiat, vel competat*. Et Can. 6. *Ne quis viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere præſumat, aut regis beneficio æſtimet poſtulandam*; quia videlicet gratiâ, aut potentiâ Regum abutebantur pravi homines ad hæc ſacrilegia, raptuſque perpetrandos, ut idem Binius obſervat.

Can.8. Decernitur, *ne quis civibus invitis ordinetur Epiſcopus*, quia videlicet Reges contra Canones arrogabant ſibi jus præficiendi quos

quos vellent Eccleſiis, ut innuitur in ipſo Canone, qui ſic habet. *Et quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit, ut juxta antiquam conſuetudinem Canonum decreta ſerventur. Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi, & Clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate: non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum comprovincialium ingeratur &c.* Intelligis jam, uti Canones non condebantur, malis ſolis poſſibilibus præcavendis, ſed præſentibus avertendis, ac proinde horum Conciliorum Canones remedia fuiſſe malorum ingentium, quibus tunc Eccleſia afflictabatur, nunc verò, Dei clementia, & Principum pietate ne tentatur quidem.

13 *Cler.* At illud quoque fateri neceſſe eſt, fuiſſe eorum temporum Epiſcopos diſciplinæ amantiſſimos,forteſque, nec unquam deſiiſſe cogere Cocilia, Canones condere, communi licentiæ obſiſtere, ipſiſque regibus obluctari.

Auct. Fuerunt abſque dubio multi ſolliciti, forteſque; atque ita fuere, ut eorum plerique qui his Conciliis interfuerunt, certè non pauci, fuerint poſtea in Eccleſiaſticas Divorum tabulas relati. At ea fuit illorum temporum iniquitas, ut nec Epiſcopi ſanctiſſimi, nec

eorum frequentiſſima Concilia, Canoneſque tam multi id obtinere potuerint, quod modò feliciùs obtinetur.

14 Anno 585. celebratum fuit Concilium Matiſconenſe ſecundum, in quo Patres ſic pręfantur, *Vidimus populum Chriſtianum temerario more diem Dominicam contemptui tradere, & ſicut in privatis diebus, operibus continuis indulgere*, cùm interea quintam hebdomadæ diem ex Jove dictam ſuperſtitiosè multi colerent, ut dicitur in Concilio Narbonenſi, quod convocatum fuit à Rege Guntramno. Audi cauſam ex Binio. *Hæc ſynodus convocata eſt juſſu Regis Guntramni qui, cùm magno dolore videret ſtatum Regni ſui quotidie in pejus vergere, ſeque contra Gothos aliquoties infeliciter pugnaſſe, malorum fontem altiùs inquirens ſolos Epiſcopos hac in re culpandos animadvertit, utpote qui Populum corruptis ſuis moribus Dei vindicis iram in ſe provocantem, evangelicis, ut par erat, doctrinis non inſtituerent. Quare eos omnes convenire voluit &c.*

15 Hæc Binius accepit ex præceptione ipſius Regis Guntramni huic Concilio adnexa in collectione Labbeana, in qua Rex hæc habet. *Agnovimus infra Regni noſtri ſpatia univerſa ſcelera, quæ Canonibus, & legibus pro Divino timore puniri conſueverant, ſuadente adver-*

adverſario boni operis perpetrari, & ex hoc procul dubio indignatione Cœleſti per diverſas ſæculi tempeſtates homines, ac pecora aut morbo conſumi cenſentur, aut gladio, dum Divina judicia non timentur &c. Ita Rex calamitatibus eruditus. Ejus verò Duces ac Tribuni redarguti quod militibus permitterent, ut quàcunque iter eſſet, cædibus, ac rapinis vaſtarent omnia, & ſacra etiam loca diriperent, ſic reſponderunt. *Omnia quæ gloria veſtra profert, recta, veraque eſſe cenſemus, ſed quid faciemus, quod populus OMNIS in vitium eſt delapſus, OMNEMQUE hominem agere quæ ſunt iniqua delectat. NULLUS Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reveretur, & ſi fortaſſe alicui iſta diſplicent, & ea emendare conatur, ſtatim ſeditio in populo, ſtatim tumultus exoritur &c.*

16 Non abſimilem fuiſſe reliquarum Regni Gallici Eccleſiarum ex militari licentia cladem, vaſtationemque, docet Gregorius Turonenſis de geſtis Francorum lib. 4. cap. 47. & 48. Agens enim de bello inter Guntramnum, & Chilpericum, ac de damnis ab hoc per filium ſuum Theodobertum, Turonenſibus, Pictavienſibus aliiſque populis illatis, ita hunc deſcribit. *Vaſtat, evertit, Eccleſias incendit, miniſteria detrahit, Clericos interficit, monaſte-*

ria virorum dejicit, puellas deludit, & culta devaſtat, fuitque illo tempore pejor in Eccleſiis gemitus, quàm tempore perſecutionis Diocletiani.

16 Audiviſti jam qui cadente quarto ſæculo, ac toto quinto, & ſexto (quæ celebrari potiſſimum ſolent à rigidis Doctoribus) fuerint mores Regum, Epiſcoporum, Clericorum, militum, & populorum. Qui verò fuerint ſeptimo & octavo ſæculo refert S. Bonifacius in epiſtola ad Zachariam Pontificem, quam reperies in Collectione Labbæana Conciliorum, ubi de hoc Pontifice. Cur autem eam ipſe non recitem, ſed velim, ut legas ipſe, intelliges, cùm leges, & prudenti modeſtiæ tribues, quod eam hìc non proferam, nec inſultem, ut hìc maximè poſſem, laudatoribus antiquitatis.

17 Poſt hæc tempora, pietate novorum Principum, Imperatorumque Gallorum fuit aliquis nitor redditus Eccleſiis Gallicanis. Neſcio tamen quantus ille fuerit, aut quandiù durarit. Nam ſæculo nono duo Concilia, nempè Aquiſgranenſe, & Metenſe per adulationem fœdiſſimam permiſere Lothario Lotharii primi Imperatoris filio natu ſecundo, & Orientalis Franciæ Regi, ut repudiata Theutberga uxore legitima Valdradam pellicem in matrimonium

duce-

duceret; cumque Nicolaus Papa Guntharium Agrippinenſem, & Theutgardum Trevirenſem Archiepiſcopos, qui fuerant utriuſque Conciliabuli principes, in Lateranenſi Concilio gradus dignitate moviſſet, utrique nihilominus pro Epiſcopis ſe geſſerunt. Quæ verò Laicorum per hæc tempora flagitia eſſent, paucis refert Card. Baron. anno 856. *Quod ad reliqua ſtatus rerum Francorum ſpectat, erat planè hoc tempore miſerandus atque lugubris ſub Carolo Calvo, nam undique ebulliebant factiones, ſubditorumque rebelliones, excreſcente enim undique ſceleratorum audacia, increbreſcebant ubique furta, deprædationes, graſſationes, & cædes, omneſque violentæ turpitudinis genus. Ad quæ evellenda Carolus hoc ipſo anno habuit Synodum in villa Caſſiriacum nominatâ &c.* Is erat ſtatus Eccleſiæ Gallicanæ ſæculo nono.

18 Nec fortè melior fuit ſæculo decimo, ut colliges ex Fulberto Carnotenſi, qui ſub finem hujus ſæculi, & initium ſequentis floruit, & Carnotenſis Monaſtetii, cujus regimen adnitente Theobaldo comite, Megenardus Monachus ambitioſus violenter invaſerat, calamitatem his verbis deflet ſcribens Sancto Abboni. *Jacet interim victa confuſaque fratrum expulſorum humilitas, nec eſt Præſul in Galliis, cujus viſcera tangat affectio pietatis, aut*

zelus

zelus ſacræ Legis inflammet, ut conſurgat ad frangendos impetus eorum, ad relevandas ſpes dolore tabeſcentium. Defuncta enim eſt Dionyſii fortitudo, non comparet pietas Martini; tu quoque dereliquiſti nos Pater Hilari, qui olim unitatem Eccleſię Spiritus Sancti gladio tuebaris. O derelicta, ò meſta, ò deſolata Galliarum Eccleſia. Quæ jam erit ſpes ſalutis ulterior? Ubi amplius afflicta Chriſtiani anima reſpirabit? &c.

19 Quoniam verò Gallicanę Eccleſiæ tam conjuncta fuit Eccleſia Anglicana, ut habeas hujus quoque ſpecimen aliquod, accipe orationem quam religioſiſſimus Rex Edgarus habuit ad ejus Regni Epiſcopos pro reformatione Cleri convocatos anno circiter 969.

Mea quidem intereſt laicos cum æquitate tractare, inter virum, & proximum ſuum juſtum judicium facere, punire ſacrilegos, rebelles comprimere . . . ſed & meæ ſollicitudinis eſt Eccleſiarum miniſtris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & neceſſaria eorum procurare, ac ſaluti, & quieti, vel paci conſulere. De quorum omnium moribus ad vos ſpectat examen, ſi vixerint continenter, ſi honeſtè ſe habeant ad eos, qui foris ſunt, ſi Divinis Officiis ſolliciti, ſi ad docendum Populum aſſidui, ſi victu ſobrii, ſi habitu moderati, ſi in judiciis

tiis ſint diſcreti. Pace veſtra loquor Reverendi Patres, ſi iſta ſolerti ſcrutinio curaſſetis, non tam horrenda, & abominanda ad aures noſtras de Clericis perveniſſent. Taceo quod non eſt illis tonſura patens, nec corona conveniens; ut in veſte laſcivia, inſolentia in geſtu, in verbis turpitudo interioris hominis produnt inſaniam: prætereo in Divinis Officiis quanta ſit negligentia, cùm ſacris vigiliis vix intereſſe dignentur; cum ad ſacra Miſſarum ſolemnia, ad ludendum magis quàm ad pſallendum congregari videantur. Dicam quod boni lugent, mali rident, quomodo diffluant in commeſſationibus, in ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis, ut jam domus Clericorum putentur proſtibula meritricum, conciliabula hiſtrionum. Ibi aleæ, ibi ſaltus, & cantus, ibi uſque ad medium noctis ſpatium protractæ in clamore, & horrore vigiliæ. Sic patrimonia Regum, eleemoſinæ pauperum, imò, quod magis eſt, illius pretioſi Sanguinis pretium profligatur? Ad hoc ergo exhauſerunt Patres noſtri theſauros ſuos? Ad hoc fiſcus regius detractis redditibus multis elargitus eſt? Ad hoc Eccleſiis Chriſti agros, & poſſeſſiones regalis magnificentia contulit, ut deliciis Clericorum meritrices ornentur, luxurioſa convivia præparentur, Canes, & aves, & alia ludicra comparentur?

Qui

Qui autem ſub his Eccleſiæ miniſtris eſſent laicorum mores, quique fuerint antea & poſtea, cùm nec Edgarus Rex apprimè pius Regno præfuit, nec Preſul Cantuarienſis fuit ſimilis Dunſtano, facilè conjicies.

20 Sed redeamus ad Eccleſiam Gallicanam, quam ſæculo undecimo breviſſimè deſcripſit Ivo Epiſcopus Carnotenſis ad Urbanum Secundum ita ſcribens epiſt. 12. *Suggero Paternitati veſtræ, ut partibus noſtris ordinetis aliquem legatum virum boni teſtimonii, qui non ſua quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti. Neceſſarius enim eſſet Eccleſię Dei, in qua QUILIBET QUODLIBET AUDET, & QUOD AUDET FACIT, & QUOD FACIT IMPUNITUM TRANSIT.*

21 Et quidem quàm mitis tunc eſſet Antiſtitum in plectendis delinquentibus cenſura, colliges ex hoc facto. Hoc ipſo tempore, quo Carnutenſem Eccleſiam ſanctiſſimè gubernabat Ivo, Dunenſis Monaſterii ei ſubjecti Virgines vitam degebant nihil religioſam. Quod autem offendebat omnes, erat potiſſimum amor Clericorum quo erant implicitæ, & perpetua cum illis conſuetudo. Id ubi reſcivit S. Antiſtes, hanc ad illas epiſtolam ſcripſit. *Glorioſum nomen virginitatis, ſed glorioſior eſt fructus &c. Ut ergo valeatis de exilio ad patriam repedare,*

ejuſ-

ejuſdem patriæ munimentis vos munite, ejuſdem ornamentis vos ornate. Chriſto enim voviſtis nubere, non CLERICIS. Chriſto voviſtis nubere, non SÆCULARIUM HOMINUM COLLOQUIA FREQUENTARE. Ad hoc enim vobis ſepta Monaſterii facta ſunt, ne mundi AMATORES INTRA CASTRA mundum fugientium RECIPIATIS, NE AD PUBLICUM PRODEATIS, ac de corporali mundi viſione tractis introrſus fœdis imaginibus, atque expugnata intus virginitate corpus quoque corruptioni ſubjici permittatis. Quomodo ergo pudicitiam ſervare valebitis, quæ cum IMPUDICIS HOMINIBUS MISCERE COLLOQUIA PUBLICA, VEL PRIVATA QUOTIDIANO USU LABORATIS? Non enim Beata Virgo Maria reſidebat in publico, nec procorum delectabatur colloquio, quando eſt ab Angelo ſalutata . . . Sic reliquæ ſanctæ mulieres virorum colloquia reſpuerunt . . . CARNIS AMATORIBUS PRETIOSA VESTE, VEL FUCATA FACIE, NON GESTU LUBRICO, VEL SOLUTO INCESSU PLACERE STUDUERUNT &c. Hæc & alia hujuſmodi S. Antiſtes, qui tandem ſic epiſtolam clauſit. *Volo & præcipio in ſumma obedientia, ut omni hebdomada ſemel in conventu veſtro legatur hæc epiſtola,*

qua-

quatenus ea quæ inhoneſta ſunt, ſollicitè cavere diſcatis, & quæ honeſta ſunt, & ſaluti veſtræ congrua, alacriter, & fortiter obſervare ſtudeatis. Bene valete.

Cler. Nil fecit aliud.

Auct. Nil prorsùs.

Cler. Nihil ſeverius Ivo, ille Canonum Doctor, ille cuſtos tam diligens Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ille Divini, humanique Juris in toto Regno Gallico tam celebratus interpres, ille excitator aliorum Epiſcoporum?

Auct. Nihil, nihil aliud.

Cler. At hoc ſolum ſi faceret modò in eadem, vel pari cauſa Epiſcopus aliquis, rideretur, & malè audiret: non enim eſt leve malum, Virginem voto conſecratam implicari amoribus Clericorum, miſcere quotidiè cum impudicis hominibus publica, vel privata colloquia, Mundi amatores intra ſepta Monaſterii admittere, ſtudere eis placere pretioſa veſte, fucata facie, geſtu lubrico; ſoluto inceſſu.

Auct. Ita eſt. Sed plus facere non permittebat Epiſcopis iniquitas eorum temporum; ex qua eadem causâ plura non hoc ſæculo tantum, ſed aliis ſuperioribus mala graviſſima tolerata fuerunt, aut benigniſſimè curata, ut pluribus exemplis oſtendere poſſem, ſi vacaret, nec ex dictis id argui facilè poſſet. Si plura

cupis

cupis exempla, multa reperies in epiſtolis Sancti Gregori redarguentis mala graviſſima, ſed ea plerumque redarguentis tantùm, aliquando minantis, aliquando, ſed benigniſſimè punientis, ſæpè condonantis, & indulgentis.

22 Seculo tandem duodecimo, quod ultimum fuit Eccleſiæ vetuſtæ, & mea iſthæc Gallicanarum calamitatum deſcriptio abſolvitur, is fuit in illis regionibus numerus ſceleratorũ, qui colligitur ex his quæ dicit S. Bernardus cap. 5. ſermonis exhortatorii ad milites Templi, & epiſt.249. quæ utraque loca attuli, & expendi in meo Clerico Rom. lib. 2. diſp. 11. num. 15. Hi autem ſcelerati, quibus implebantur Urbes, erant ex eodem Bernardo homines *impii, raptores, ſacri legi, homicidæ, perjuri, adulteri.*

CAPUT XXI.

Occurritur damnis, quæ oriri poſſent ex harum Eccleſiarum deſcriptione: quædam objecta ſolvuntur, & hujus libri ſcopus, & utilitas magis declaratur.

1 DUM autem hæc audis tam inſignium Eccleſiarum probra, vileſcere tibi non debet Eccleſia, ut nemini legenti, aut hiſtoricos

ricos veteris Teſtamenti libros, in quibus Hebræorum frequens apoſtaſia, ſuperſtitio, obſtinatio paſſim deſcribitur, aut libros Prophetarum, in quibus ejus gentis flagitia reprehenduntur, vileſcere debet vetus Hebręorum Eccleſia. Sanctiſſima fuit hęc abſque dubio, tùm quia ſanctiſſimas habuit leges, optimas cęremonias, Divina Sacramenta, tùm quia multis floruit ſanctiſſimis Patriarchis, Prophetis, Doctoribus, Sacerdotibus, & utriuſque ſexus Fidelibus non paucis, qui legi Divinæ paruerunt, quamvis longiſſimè plures fuerint, qui Divina mandata violarunt. Sanctiſſima quoque Chriſtiana, de qua agimus, vetus Eccleſia fuit; imò longè præſtantior veteri Hebræorum Synagogâ ex fundatore, & magiſtro ſuo Chriſto Domino, ex ſublimiori Evangelii Doctrina, ex præſtantioribus Sacramentis, ex longè pluribus viris, fœminiſque ſanctitate clariſſimis, Apoſtolis, Prophætis, Doctoribus, Martyribus, qui veterem Eccleſiam univerſam, ſed præſertim Græcam, Africanam, & Gallicanam illuſtrarunt. Et quidem, ut ea tam obſtinata tot Hebręorum perfidia non effecit, ut veteri Synagogæ præferri poſſent ſectæ Gentilium Philoſophorum, in quibus omnibus fuit longè major numerus delinquentium, ita non faciunt tot aut veteris, aut præſentis Eccleſiæ

Catho-

Catholicæ degeneres filii, ut ea amittat eum ſplendorem, & honeſtatem, qua ſectis omnibus Gentium, & Hæreticorum præferatur, cùm hæ ſceleſtiſſimis hominibus abundarint ſemper omnes, & abundent, at ſola Eccleſia Catholica, eæque quas dicebam, Gręca, Africana, Gallicana, fortiſſimos habuerit Martyres, ſanctiſſimos Epiſcopos, ſapientiſſimos Doctores, Fideles omnis conditionis & ordinis, morum honeſtate pręclaros, quorum egregiis factis, Eccleſiaſticæ omnium temporum hiſtoriæ locupletantur.

2 In his autem, eorum quoque qui à veritate, & virtute deflexerunt, extare memoriam voluit Deus, ut voluit à ſacræ paginæ ſcriptoribus, non ſolum deſcribi egregia facta Patriarcharum, & Prophetarum, ſed etiam ſui populi inconſtantiam in fide, obſtinationem in perfidia, Regum bella injuſta, inita contra legem cum Gentibus Deo inviſis fœdera, artes fraudulentas, violentas cædes; Sacerdotum avaritiam, maligna conſilia, hypocriſim, ipſorum demum Sanctorum virorum lapſus. Utrumque enim Divinâ providentiâ factum fuit: hoc, ne Judæi crederent, eſſe argumentum falſæ religionis noſtra flagitia, nobiſque ea exprobrarent, dicerentque, plus virium ad obſervanda præcepta ab lege ſubminiſtrari, quam ab Evan-

gelio, illud verò, ne quis, niſi temerè præſentem Eccleſiam damnaret, diceretque, ſolam antiquam fuiſſe Eccleſiam veram rugâ carentem, & maculâ, & veluti ſponſam virtutum omnium monilibus exornatam, ut auſu temerario dicere tot Hæretici conſueverunt, utque non dicunt quidem, ſed dicere videntur aliqui, qui modò ſemper deflent Eccleſiæ præſentis mores, praxes, ſtudia, & veteris Eccleſiæ diſciplinam, rigorem, & ſanctitatem ſemper attolluut, quod majorem, quàm fortè credas, perniciem creat.

3 Hinc enim oritur 1. ea perſuaſio, aut ſaltem dubitatio, ne vera Chriſti Eccleſia defierit, aut ſaltem alia ſit à præſenti. Oritur 2. quidam contemptus omnium Doctorum, qui his ultimis ſæculis floruerunt. Oritur 3. quædam ſaltem dubitatio, ne & ipſa recentiora Concilia œcumenica, aut Pontificum conſtitutiones, veluti ſubnixæ ſententiis recentiorum, errarint. Oritur quartò quidam contemptus eorum aut rituum, aut ſtudiorum, aut piorum exercitiorum, quæ modò frequentat Eccleſia; ſed quæ non leguntur fuiſſe in veteri Eccleſia uſurpata, aut frequentata, ut inſignia quædam cultus in B. Virginem, & Sanctos, confeſſio venialium, pia ſodalitia, preces quædam in decades digeſtæ, & per inſertos filo orbiculos

nume-

numeratæ &c. Oritur quintò ſtudium novandi, nempè deſtruendi quod optimum eſt, & renovandi quod aut nunquam fuit uſu receptum, aut minus utiliter, & ideò ſublatum fuit, & correctum. Oritur tandem pertinax amor tuendæ novitatis, hinc autem contentiones, conſilia maligna, ſchiſmata, hæreſes.

4 Ne tot mala tam facilè Eccleſiam perturbarent, voluit Deus, ut ſcriptores antiqui, ſuorum temporum calamitates, & quæ mali Fideles malè geſſerunt, accuratè deſcriberent; eaque ipſe volui tibi utcunque recenſere, aut potiùs innuere, non ſolùm ut his pravis perſuaſionibus decipi minimè patiaris, nec unquam ſtudio malè novandi capiaris, ſed ut Eccleſiam antiquam æſtimes quidem plurimi, præſentem tamen Eccleſiam ames impensè, veteris Eccleſiæ Doctores, Sanctos Patres adores omnes, præſentis Eccleſię Doctores ne contemnas omnes; nihil invideas iis, qui ſæculis celebratæ ſeveritatis vixerunt, gratias agas Deo, quod te in hæc tempora reſervarit, quæ vitiis quidem non carent, ſed virtutibus quoque abundant; iis verò adjumentis quibus virtus paratur, non abundant ſolùm, ſed ſuperabundant; quæ demum nunc celebrantur parciſſimè, ore tamen poſterorum, fortè minus felicium, effuſiſſimè celebrabuntur.

Verum aliæ quoque rationes effecerunt, ut docerem te, qui verè fuerint eorum temporum aut regionum mores, quæ à multis effuſiùs celebrantur. Et primò volui oſtendere, hanc ipſam nimis liberalem antiquitatis celebrationem vanam eſſe, ejuſque cauſam eſſe ignorationem antiquitatis. Secundò ex eadem oriri eam perſuaſionem antiqui rigoris, quam dicis eſſe communem, ſed verè eſt eorum tantum, qui præterita ignorant, aut hac multorum ignoratione ad ſuos errores propagandos abutuntur. Quomodo enim extitit is tantum rigor cum ea quam deſcripſi morum licentia, nimirum obſervantia canonum maximè difficilium, qui nihil fuere aliud quam leges quædam aut inſtitutiones Eccleſiarum, cum tanto contemptu legum naturalium, Divinarumque longè minus difficilium? Tertiò volui oſtendere, hunc rigorem (quando etiam verè extitiſſet) non id effeciſſe, ut meliores quam modò ſint, fuerint mores populorum. Quartò tandem, nec eſſe cogitandum de renovanda eorum Canonum obſervantia, quæ aut nunquam fuit, aut non fuit utilior, ſed fortè minus utilis præſenti Eccleſiæ benignitate.

5 *Cler.* Hos fructus percipi ex his tuis Diſſertationibus, non eſt dubium, ſed tria quoque damna graviſſima inde oriri videntur. Primò enim

enim minuitur in peccatoribus ſtudium pœnitentiæ. Ut enim Fideles ad eam excitantur, dum audiunt in veteri Eccleſia ſeveriſſimam, multorumque annorum pœnitentiam pro uno delicto fuiſſe impoſitam, & peractam; ſic ab ea revocantur, dum audiunt, id eſſe falſum, & longas illas pœnitentias fuiſſe pleriſque ſolùm indicatas, paucis impoſitas, & à pauciſſimis verè peractas.

Secundò minuitur in omnibus ſtudium & amor diſciplinæ. Et quidem Epiſcopi deſides fient in ea cuſtodienda, quam intelligent, nec olim fuiſſe cuſtoditam; audaciores fient populi in ejus legibus violandis, quas audient, olim fuiſſe à tam multis violatas: minorem certè pudorem pleriſque incutient malè facta. Nam qui audit, hos fuiſſe, quos dicis, mores antiquos, incipit minùs odiſſe quæ malè facit; imò nec damnat penitus, nam ſpeciem quandam virtutis habere videtur flagitium minus.

Tertiò tandem minuitur æſtimatio noſtræ Religionis, veræque Eccleſiæ, in qua per tot ſæcula tam gravia à pleriſque fuerunt, ut dicis, commiſſa delicta, quæ negabunt Hæretici committi à populis quos ſuis doctrinis imbuerunt. Et quamvis his occurriſſe videaris ſupra, adhuc tamen manet in corde meo ingens timor, ne iſthæc mala verè ſecutura ſint ex iis, quæ in

toto hoc Opere diſſeruiſti de veteri Eccleſia, quam videris damnare, aut ſaltem exhibere damnabilem, multa referens, in quibus ea videtur erraſſe, aut minùs fortiter ſe geſſiſſe, permittens quæ non videntur permitti debuiſſe, & leges condens aut inutiles, aut nocivas, aut injuſtas.

Auct. Hæc (ut dixiſti) non ſemel oſtendi, inania eſſe, ac penitùs contemnenda. At quoniam adhuc times, iterum oſtendam, non eſſe cur timeas.

6 Incipiam ab eo quod ultimo loco dicebas. Antiquam Eccleſiam nec damno, nec deſcribo tanquam damnabilem. Recenſeo quidem aliqua, quæ illa permiſit, aliqua quæ non permiſit ſolùm, ſed fieri præcepit, quæ, vel permiſſa, vel præcepta modò prohibet Eccleſia pręſens; non tamen aut aſſero, aut innuo, eam in his aut permiſſionibus, aut præceptis erraſſe, imò non ſemel diſertè moneo, iniquitatem aut diverſitatem temporum ea permittere, vel præcipere ſuaſiſſe. Iniquitas temporum coegit permittere populis aliquandù, quæ non ſatis ſobriè, nec ſatis religiosè celebrabantur in Templis convivia, initiare ſacris Ordinibus uxoratos, infulis decorare neophytos, aut quos Principes, aut populus elegiſſet, aliaque hujuſmodi, fortè non ſatis bona, aut ſaltem

tem non optima, ſed permiſſa ſatis bene, ne majora mala contingerent. Diverſitas autem temporum aliqua non ſolùm permittere, ſed etiam præcipere ſuaſit, quæ poſtea prohiberi debuerunt, utpote quæ ex diverſis circumſtantiis jam bona eſſe deſierant. Cùm Religioſi non erant ita multi, eoſque multiplicari expediebat magis; cùmque parentes ex ſola pietate filios pueros Monaſteriis offerebant, parentum oblatio ſuſtineri juſtè potuit in favorem Religionis; poſtea verò, his cauſis deficientibus, ſuſtineri filiorum libertas debuit. Quamvis fortaſſe etiam antea hujus libertatis ratio habita fuit; nam ſaltem in aliquibus Monaſteriis exigebatur, ut puer uſum rationis adeptus, facto aliquo ſuo Patris factum confirmaret, videlicet liberè canendo in choro, aut agendo aliquid hujuſmodi quod fieri ſolebat à viris liberè Deo mancipatis, ut innuit Concilium Triburienſe citatum à Gratiano 20. quæſt. 1. *Quem Progenitores ad Monaſterium tradiderunt, & in Eccleſia COEPIT CANERE, ET LEGERE, nec uxorem ducere, nec Monaſterium deſerere poterit, ſed ſi diſceſſerit, reducatur, ſi tonſuram dimiſerit, rurſus tondeatur, uxorem ſi uſurpaverit, dimittere compellatur*. Concedebatur etiam redemptio, ſi puer detonſus multum repugnabat, ut innuitur ibidem ex Pœni-

tentiali Theodori. *Infans pro infanti poteſt dari in Monaſterio, quamvis alter votus ſic. Tamen melius eſt votum ſolvere.*

7 Negari tamen nequit, melius modò conſuli libertati profeſſionis Religioſæ, magiſque expedire, hanc libertatem ſervari penitus illæſam, ut poſtea docuit experientia, quæ dum mala detegit, quæ priùs latebant, facit ut novæ, eæque ſalubriores leges fiant, ut notat S. Auguſtinus epiſt. 50. *Cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta malorum*. His autem legibus, quæ progreſſu temporis, docente experientia, ſanciuntur, dicuntur aliquando leges antiquæ corrigi, non quod illæ malæ fuerint, ſed quod minùs utiles fuerint, quo ſenſu dicit S. Auguſtinus de unico Bapt. cap. 3. ut alibi monui, Concilia non ſolum particularia, ſed etiam generalia poſterioribus Conciliis emendari. *Ipſa Concilia*, inquit, *quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedunt: ipſaque plenaria ſæpè priora à poſterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat ſine ullo typo ſacrilegæ ſuperbiæ*. Quo genere emendationis correxit Gregorius Papa VII. aliam priorem conſtitutionem,

nem,

nem, qua fuerant excommunicati quicunque participes eſſent aliquorum ſcelerum, vel cum abſciſſis aut communicantibus cum ipſis, communicarent, ut refertur in cap. 101. Quoniam cau. 11. quæſt. 3. *Quoniam peccatis noſtris exigentibus multos quotidie cauſa excommunicationis perire cernimus, partim ignorantia; partim nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate, devicti miſericordia, anathematis ſententiam prout poſſumus temperamus. Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores filios, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos, & ſervientes &c.* Multis hujuſmodi emendationibus ſine injuria veteris Eccleſiæ fuerunt aliquot ejus leges correctæ.

Non nego tamen, aliqua fuiſſe aut malè permiſſa, aut male præcepta, & ideo poſtea verè emendata, ut eſt purgatio vulgaris, ſed is error fuit alicujus Doctoris, aut alicujus particularis Eccleſiæ, quæ certè erravit aliquando.

8 Nunc ad ea tria quæ objiciebas, reſpondeo, ac dico, populos non eſſe ex falſo excitandos ad amorem pœnitentiæ ac diſciplinæ, nec noſtræ Religioni conciliandam æſtimationem, & amorem falſis narrationibus, ut illæ ſunt, quibus nimis effusè celebratur vetus Eccleſia perinde ac ſi omnes eorum temporum

Fide-

Fideles fuerint (ut ſupra dicebam) aut inſigniter innocentes, aut egregiè pœnitentes, omnes aut Martyres, aut Confeſſores, aut Doctores, aut Anachoritæ.

Cler. Non id quidem aſſerendum eſt, ſed neque in unum cumulum colligenda ſunt omnia eorum ſæculorum delicta, Epiſcoporum ambitio, Principum violentia, Sacerdotum ſacrilegia, impietas Laicorum; perinde ac ſi, omnes eorum temporum Fideles fuerint aut ambitioſi, aut violenti, aut ſacrilegi, aut impii, quales nec Hæretici ſunt.

Auct. Nec ego omnes fuiſſe ita criminoſos aſſerui.

Cler. Vix non omnes.

9 *Auct.* Id etiam falſum; nam aſſerui, & aſſero, in illis ipſis tribus Eccleſiis, quas deſcripſi, multos fuiſſe ſanctitate prçſtantes, quos Hçretici proferre non poſſunt. Jactant illi quidem diſciplinam quandam externam, quam populi frigidiorum regionum faciliùs ſervant, non item ſtudium veræ ſanctitatis, nempe intimæ demiſſionis, amoris erga inimicos, honeſtatis abhorrentis ab omni labecula pravi phantaſmatis, aut cogitationis, abſtinentiæ perpetuæ etiam à licitis quibuſque voluptatibus, amoris ardentiſſimi omnium incommodorum, & moleſtiarum, charitatis in Deum ardentiſſimç;

ſimę; contemplationis aſſiduę, aliorumque hujuſmodi, quæ aut heroicam ſanctitatem faciunt, aut indicant. Hinc nec Martyrum myriadas proferunt, nec viros Apoſtolicæ charitatis, & invictæ in obeundis vaſtiſſimis regionibus, eiſque aut convertendis ad fidem, aut in fide excolendis patientiæ laude pręclaros, nec dinaſtas ſpontanea, religioſaque abdicatione regnorum illuſtres, nec regales conjuges in toro virgines, nec virgines tori regalis pro amore Chriſtianæ virginitatis inimicas, & viris ipſis in contemnenda pro fide vitâ fortiores, quibus prędictas illas Eccleſias, non ſolùm abundaſſe, dixi, ſed magis, quàm nos abundemus; quamvis addiderim, quod res eſt, fuiſſe permultos, qui vitam flagitioſam ducebant.

Cler. At hoc ipſum non videtur dicendum, quia, ut ajebam, minuit æſtimationem Eccleſiæ.

Auct. Falſam minuit, nempe eam quæ populis relinquenda non eſt.

Cler. Cur populis relinquendæ non ſint falſæ perſuaſiones, quæ non ſunt circa fidem, nec ulli nocent?

10 *Auct.* At hanc, de qua loquimur, nulli nocere nego. Innumeris illa nocuit, nocebitque. Eâ uſi ſunt (quod ſuprà dicebam) Hæretici, ut populos à vera Religione averterunt.

Anti-

Digitized by Google

Antiquam Eccleſiam attollebant (ut omnes norunt) Lutherus, Calvinus, Zuinglius, aljique hujuſmodi impoſtores, jidem præſentem Eccleſiam ab ea degeneraſſe dicebant, dolebant veterem doctrinam corruptam, antiquos ritus abolitos, & novos Divinæ legi verboque ſcripto contrarios inſtitutos. Hæc rituum additamenta, has antiquæ doctrinæ, ac diſciplinæ corruptelas unicè diſplicuiſſe ſibi dicebant, hæc ſolùm à ſe ſublata eſſe, nec nova inventa, ſed antiqua reſtituta. Hinc Eccleſiam ſuam vocabant reformatam: hiſque falſis perſuaſionibus, ſpecioſiſque nominibus, populos deceperunt. Eſt autem timor multorum, nec vanus timor, ne quod evenit, eventurum ſit iterum, ne videlicèt ſimilibus declamationibus in præſentem doctrinam, ac diſciplinam, his antiquæ diſciplinæ laudationibus, paribuſque conteſtationibus decipiantur multi, aut ineruditi, aut male eruditi, aut ex indole ſua male comparati, putanteſque optimum eſſe quidquid rigidum eſt. Ingens, iterum dico, timor eſt, ne ſub ſpecie exigendi antiquas ſatisfactiones pro commiſſis delictis, tanquam omninò neceſſarias, Indulgentiarum, quas largiuntur Pontifices, contemptus inducatur, indè contemptus Pontificiæ poteſtatis (id fuit hæreſis Lutheranę principium): ſub ſpecie reſtituendæ pœniten-

tiæ

tiæ publicæ, auricularis confeſſio tollatur: ſub ſpecie repurgandi Eccleſiam novis inventis, Roſaria,pia Sodalitiorum exercitia, Iconum ornamenta, feſti Sanctorum dies inque ipſis Euchariſtiæ uſus, ſupplicationes, reliquiarum cultus, certæ preces, & quidquid in populo pietatem fovet, auferatur, nec antiqua, quæ ſingitur, diſciplina revehatur, ſed invehatur nova veræ doctrinæ veræque diſciplinæ corruptela.

11 Quod autem ipſe malum times, minus eſt, nec ſequitur ex ea quam inſtitui veteris Eccleſiæ deſcriptione, & laudatione Eccleſiæ præſentis. Sic enim aſſero, fuiſſe olim à multis peccatum magis, ut ſimul aſſeram, fuiſſe olim minora ad virtutem pręſidia, pauciores educandæ juventutis, & excolendorum populorum artes, & commoda, quæ poſtea longi temporis ſuppeditavit induſtria. Non igitur anſam prębeo iis qui modò vivunt, ut malè vivant, ut mala exempla ſequantur, ut blandiantur ſibi. Aſſero vigere nunc in Eccleſia diſciplinam, ſed labore & curâ Epiſcoporum, Paſtorumque qui antiquioribus Epiſcopis ſucceſſere. Non igitur foveo ſocordiam Paſtorum qui modò pręſunt, ſed acuo induſtriam, ut diſciplinam quam auctam à deceſſoribus ſuis ſuſcepere, augeant ipſi quoque, & perficiant magis. Demum opto

quàm

quàm maximè, ut qui deliquere, pœnitentiam agant aſperam, prælongam, canonicam. Sed hanc in foro interno imponi, pręcipi, exigi nolim, ne id forum turbetur primo, deinde (quod eveniret abſque dubio) deſeratur, & ſub ſpecie inſtaurandi canonicam diſciplinam & pœnitentiam tollatur ſacramentum pœnitentiæ. Uno verbo, nihil innovari velim, ſed eo modò curari Pœnitentes, quo olim fuiſſe verè curatos, credimus, quo à quingentis, & amplius annis curari certò ſcimus, quo demum curandos eſſe communi Doctorum, Theologorumque ſuffragio docemur.

Cler. Ecquis eſt iſte modus, quo curandos eſſe Pœnitentes communi Doctorum ſuffragio docemur? Quod eſt hoc commune ſuffragium?

Auct. Id te tertius liber docebit.

Finis ſecundi Libri.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ hoc ſecundo libro continentur.

ABſolutio deprecatoria cap.1. num.10. pag. 10.
Agapetæ Virgines quæ eſſent p. 267. Quid ex divortio. p. 99.
S. Aug. Angl. Ap. quæſt. ad S. Greg. p. 134.

BAptiſmi doctrina incerta olim p 113. & 127.
CAlvini teſtimonium pro Confeſs. c.6. n 6. p 86.
Canones aliqui videntur fuiſſe ſola conſilia p. 113.
Canones pœnitentiales. *Vide* pœnitentiales Canones.
Caſuiſtarum ſtudium & libri p. 127. p. 105. 107. 120. & 127.
Confeſſio præcepta p.16.26.62.& 93. Facta frequenter p.28. Confeſſio generalis totius vitæ p. 99.
Confeſſio facta ante Baptiſmum c.3. n.7. p 38.
Confeſſio venialium olim etiam uſurpata p.17 & 84.
DIaconis olim alicubi permiſſum uxorem ducere c. 18. p. 268.
Divortii leges non omnibus olim notæ p.99. & 143.
ECcleſia Africana qualis fuerit p.280. Hiſpana qualis p.287. Græca qualis p. 284. Gallicana qualis p. 295. Anglicana qualis p 314.
Euchariſtiæ uſus an frequens olim p.46. & 76. Miniſtrata infantibus & quomodo p.273. Errores circa hoc ſacram.p.136.
Eulogiarum uſus c.6. n 5. p.82.

FAbiolæ matronæ Rom. pœnitentia p.233.
SAnctus Gregorius Nazianz. quid ſentiat de Bapt. infantium p. 130.
Sanctus Io. Chryſoſt. de Confeſs. p 34. & 68.
IVo Carnot. conſulitur circa divortium p. 146. circa prob. vulg. 148. non non fuit rigidus 223. Moniales corrigit 316.
MIſſæ plures eodem die celebratæ p. 263. Miſſarum varia genera in Galliis p.265.

Ne-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

N Ectarii Ep. factum circa Presb. Pęnit. p.33. & 64.
Nuptiarum pompa obſcœna in Græcia olim p.290.
O Ratio quando præcepta,& qualis p.285.
Ordinationes factæ contra Canones p 285.
P Atres benigni cum Pœnitentibus c.16. n.3. p. 221.
Pęnitentiales Canones an conditi in gratiam ſolius externæ diſciplinæ p. 159. Obligarunt volentes p.243.
Pœnitentialium aliquot librorum diſcordia, & laxitas p. 121.
Pœnitentiæ Canon an imponi in foro interno debuerint p.168. An pro delicto occulto p. 180. An pro aliis delictis aliquando,& quando p.214. An à multis peractæ p.219. & 247.
Pœnitentiæ Sacr forum fuit ſemper in Eccleſia p. 3 Idem qui nunc c.3.& 5.Ejus miniſtri an eſſent ſoli Epiſcopi p.44 & 75
Prob. vulgaris an licita p.148.
R Eligioſa profeſſio olim non ſemper libera p. 269.
Religioſa clauſura nunc meliùs cuſtodita ibid.
S Acramentalium rituum diverſitas quanta olim p. 272.
Sacramentorum doctrina minus perſpecta p. 261.
Scrupulorum morbus olim rarus, & cur p.48 & 89.
Sozomenus deſcribit Romanam pęnitentiam publicam p 236.
Spectaculorum damna deflet S. Jo. Chryſ. c.19. n.15. p.293.
Subdiaconi olim alicubi non prohibiti uxorem ducere p. 267.
Superſtitiones olim commiſſæ p.291.
T Theologos recentiores laudat S. Thomas p. 153.
V Alentiniani epiſtola pro ſedandis diſcordiis Epiſcoporum p. 298.

Finis Indicis ſecundi Libri.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 55. verſ. 14. Inſtitutionis Inſtitutoris 58. 19. examinent conſiderent 88. 16. ſilvere ſiluere 110. 11. ſexti, & ſeptimi decimi ſexti,& decimi ſeptimi 126. 25. perutites perutiles 127. 6. ſcrire ſcripſere 132. 18. bitu litu 148. 23. puterita præterita 196. 9. pates pares 198. 10. ambo amabo 204. 24. ſint ſine 228. 1. receſſu ſeceſſu 236. 15. pernicem perniciem 237. 1. egit egi 299. 22. inepſerunt irrepſerunt 304. 19. intercefſent intereſſent 27. (irrepſit (error irrepſit

ANT. 1315935